



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus XI. De Temporibus Ordinationum, & Qualitate Ordinandorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

TITVLVS XI.

De Temporibus Ordinationum, & Qualitate Ordinandorum.

Prelatorum, de quorum Constitutione, Renuntiationeque & Negligentia supplenda habitus est actum, & præcipue Episcoporum proprium munus est creatio sive Ordinatio Clericorum: quæ ut ritè fiat, præscripta Ordinationum tempora seu intervalla, & ordinandorum qualitates declarandæ hõc & sequentibus aliquot Titulis subjiciuntur.

ARTICVLVS I.

De Natura & Numero Ordinum.

SUMMARIUM.

1. Ordinis varia Significatio,
2. Et propicè accepti numerus,
3. Prima tonsura non propriè,
4. Sed improprie dictus Ordo est.
5. Episcopatus verus:
6. Sed à Presbyteratu adequatè distinctus Ordo non est.
7. Presbyteratus verum Nova Legis Sacramentum est:
8. Ulti & Episcopatus, Diaconatus,
9. Et ceteri Ordines omnes:
10. Septenis tamen plura Sacramenta non sunt.
11. Presbyteratus in ultima Cæna:
12. Et cum eo Ordines inferiores omnes:
13. Episcopatus post Christi Resurrectionem est institutus.

Ordinis nomine latius sumpti rei cuiuscunque digestio sive in loco collocatio venit, iuxta mentem S. Augustini, qui ordinem esse ait, parium dispariumque rerum sua cuique tribuentem dispositionem, *Lib. 9. de Civitate cap. 13.* Strictius autem acceptum, aliquando significat certum hominum statum, quò sensu Christianorum Ordo duplex, alius Secularis est & alius Clericalis, sive hominum ad obsequium & cultum Divinum specialiter deputatorum, *can. Duo sunt 12. q. 1.* aliquando verò potestatem spirituales conficiendi Sacramentum Eucharistiæ, vel ad illud conficiendum ministrandi, Navarrus *Manual. cap. 2. n. 17.* quò sensu Ordinatio est ipsa actio sive ritus & cõemoniæ sacra, quibus ejusmodi potestas confertur.

Hõc modò & in proposito Rubricæ sensu accepti Ordines Ecclesiastici à Synodo Tridentina septem enumerantur *Sess. 23. cap. 2. de Sacram. Ord.* ex quibus quatuor Minores, scilicet Ostiatorum, Lectorum, Exorcistarum & Accolytorum Ordines; quia ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum remotius concurrunt, non sacros: tres Majores, scilicet Subdiaconorum, Diaconorum & Presbyterorum Ordines; quia ad dicti Sacramenti confectionem proximè concurrunt, & propterea votum Continentiæ & Horas Canonicas recitandi obligationem

gationem annexam habent, Sacros esse, convenit inter Catholicos DD. & cit. Sess. 23. cap. 5. can. 2. habetur.

3. An autem præter eos admittendi sint Ordines alii, non idem est omnium sensus: & VV. quidem Canonistæ & cum iis Fagnanus in c. Cum contingat 11. de Heret. n. 44. Jordanus Tom. 1. lib. 3. Tit. 6. n. 3. Sperellus decis. 114. à n. 19. Ordinibus adnumerant primam Tonfuram, propter textus c. cit. quò relatus Innocentius III. Per primam, inquit, Tonfuram clericali Ordo conferitur, & c. In Ecclesia 2. de Infirmis. Ubi laici beneficiorum Ecclesiasticorum incapaces dicuntur, ob defectum Ordinis, hoc est, primæ Tonfuræ, quæ accepta illorum jam sunt capaces.

Sed melius TT. eam propriè dictum Ordinem esse, negant, & defumunt ex Concilio Tridentino, quod eam nunquam Ordinem appellat: quin potius ab Ordinibus, tam majoribus quàm minoribus, discretè distinguit Sess. 23. cap. 2. de Sacram. Ord. ubi clericali tonfurà insigniti per minores ad majores Ordines ascendere dicuntur: cap. 6. de Res. ubi Nullus, inquit, primæ tonsuræ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, cap. 10. prohibendò Abbatibus; ne aliis, quàm subditis sibi Regularibus tonfuram vel minores Ordines conferant; & cap. 17. ubi, dum præcipit, ut sacrorum Ordinum functiones à Diaconatu ad Ostiariatum in usum revocentur, hunc tanquam infimum nominando, ipsò inferiorem primam Tonfuram ex Ordinum numero apertè excludit. Idem colligitur ex Pontificali Romano, quod creationi clerici, quæ fit per primam Tonfuram, præfigit Titulum de Clerico, non Ordinando, sed faciendo: cui subdit Titulum de Ordinatione Ostiarii non ob-

scure insinuans, hujus Ordinem ex minoribus esse primum; ac proinde Tonfurà illà Ordinem non conferri, ut notat Tannerus Tom. 4. disp. 7. q. 2. dub. 2. n. 21. Ratio est; quia per eam homini non confertur potestas, specialem aliquam actionem aut ministerium, in ordine ad sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti confessionem exercendi: sed solummodo transfertur à statu Laicali ad Clericalem & functiones omnibus clericis communes, sicut v.g. est decantatio Laudum Divinarum, ut cum S. Thoma p. 3. in Supplement. q. 5. art. 2. advertunt Tannerus cit. n. 21. & Laiman Theolog. Moral. Lib. 5. tract. 9. cap. 5. n. 3.

Unde utroque cc. in contrarium allegatò nomen Ordinis non accipitur propriè, & pro potestate ad Altaris ministerium relata: sed latius pro deputatione sive adoptione ad statum distinctum à Laicali: qui frequenter vocari solet Ordo clericalis, & fundamentum est Ordinum, eorumque & beneficiorum, jurisdictionis ac privilegiorum Ecclesiasticorum assert capacitatem, Palao tract. 27. disp. unic. p. 2. n. 5.

Non minus dubium est de Episcopatu. Quem, licet verum Ordinem esse, constat ex Tridentino, asserente Episcopos ad Hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere, esseque Presbyteris superiores, Sess. cit. de Sacramento Ord. cap. 4. controversia tamen inter DD. est, an sit Ordo à Presbyteratù omnino distinctus: quod cum Hostiens. in c. Cum contingat cit. n. 6. & aliis Interpp. cum Majore in 4. disp. 24. q. 1. & nonnullis aliis TT. Ordinum numerum novenarium statuentibus, defendit Fagnanus in c. 1. de Ordin. ab Episc. qui renunt. n. 33. partim; quòd secundum Concilium Tridentinum Episcopi Presbyteris sine superiores, cit. Sess. 23. can. 7. partim; quòd can. H h 2

quod *can. 1. dist. 21. can. 1. dist. 32. & alibi* Episcopatus referatur, ut Ordo ab aliis distinctus: & Anacletus *Epist. 3. cap. 1.* disertè asserat, Ordinem sacerdotum esse bipartitum, Episcoporum & Presbyterorum.

6. Alii verò TT. multè frequentiori & veriori calculò, Episcopatum completè sumptum à Presbyteratu adæquatè distingui, negant: & merito; quia Ordinem Sacerdotalem essentialiter prærequirit & includit, eumque perficiendò complet; cùm Episcopale officium potestatem consecrandi essentialiter præsupponat, *c. Ex literis 10. §. Cùm igitur junctâ Glossâ V. Ministerio de Excess. Pralat.* & propterea Episcopus fieri nequeat, qui Presbyter non est, ut cum Glossa *in c. Unic. de Clerico per saltum promotò V. Ministrare* tradunt Hostiens. *in c. cit. n. 2.* Sylvester *V. Ordo 1. n. 1.* Suarez *de Censur. dist. 31. l. 1. n. 53.* & alii relati à Barbosa *in c. cit. n. 10.* Complet itaque Episcopatus Presbyteratum, ad eum ferè modum, quò potestas absolvendi, Joan. *cap. 20. v. 23.* Apostolis concessa, & in Ordinatione sacerdotibus communicata perficit & complet Ordinem sacerdotalem: quem cum potestate consecrandi Apostoli in ultima Coena, & sacerdotes etiam prius acceperunt, Bellarmin. *Lib. de Sacram. Ord. cap. 5.* Vasquez *dist. 240. cap. 5.* & Laiman. *cit. cap. 8. n. 6.*

Neque hinc inferes, Ordinem sacerdotalem non distingui à Diaconatu; quia ille hunc essentialiter non includit; cùm illum suscipi ab eo, qui isto caret, validè posse, constat ex *c. Unico cit. ubi*, qui sine Diaconatus Ordine suscepit Presbyteratum, ut in hoc ministrare possit, omisso solum Ordinis defectum suppleri; non eum iterum suscipere jube-

tur. Ita *in c. cit. Panormit. n. 4. Barbofa n. 9. & Fagnanus n. 2. & 3.*

Neque hæcenus de Episcopatus Ordine dictis adverstantur textus & alia in contrarium allata; quia Episcopatus tantum completè sumptus, superior & perfectior est Presbyteratu; cùm utique totum perfectius sit qualibet sua parte, accepta seorsim. Eòdem sensu sacerdotum Ordo bipartitus est, alter scilicet Sacerdotum simplicium, incompletus & imperfectibilis; alter verò Episcoporum, & omnino perfectus, Laiman *cit. n. 6. de Palao cit. p. 2. n. 6. in fine.*

Ex hoc Ordinem septenario Presbyteratum, sive Ordinationem Presbyteri, verum Novæ Legis Sacramentum à Christo Domino institutum esse, à Conciliis Florentino post *Seff. ult. in Decreto Eugenii, §. Sexum* & Tridentino *Seff. 7. can. 1. de Sacram. in genere & Seff. 23. can. 3.* definitum, & ratio est; quia ejusmodi ceremoniæ sive ritus sunt signum visibile, scilicet impositio manuum, quæ cum ejusmodi potestate etiam gratia sanctificans confertur, juxta illud Apostoli, *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum 2. Timoth. cap. 1. v. 5.* hinc nomine Gratia non solum consecrandi sed sacrificia offerendi potestatem, sed gratiam quoque Habitualement & Sanctificantem denotari, eadem S. Synodus declarat *cit. Seff. 23. cap. 3.* & aperte colligitur ex subjecta ratione, propter quam Apostolus ad gratia suscitationem Timotheum hortatur, *Non enim, inquit, dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, dilectionis & sobrietatis: qui sobrietus ipsa charitas gratiaque sanctificans est, Bellarmin. de Sacram. Ord. à cap. 2. Cornel. à Lapide in cit. Epist. 2. V. l. & Laiman. Theolog. Lib. 5. tract. 1. cap. 2. n. 1.*

Simil.

8. Simili modo Episcopatum, sive Episcopi Ordinationem, Sacramentum esse, clarè deducitur ex Tridentino; hoc enim, cum *cap. 3. cit.* per sacram Ordinationem gratiam conferri; ac proinde eam Sacramentum esse, declarasset & *cap. 4. pr.* Ordinem Sacramentum esse asseruisset, id de Episcopi quoque ordinatione asseruisse videtur, ut rectè arguit Vasquez *in 3. p. tom. 3. disp. 240. n. 36.* & iterum probatur testimonio S. Gentium De Actonibus 1. Timothei. *cap. 4 v. 14.* *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii:* quibus verbis de Timothei Ordinatione in Episcopum sermonem esse, ex communi SS. PP. sensu notant *cit.* Bellarmin. *cap. 5.* Vasquez *n. 38.* & Cornelius *in cit. cap. 4. v. 12.*

Eundem Episcopatus Ordinem à Christo institutum, constans traditio & S. Synodi Trident. definitio est, *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam, Divinam Ordinationem institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris & ministris, anathema sit, sess. cit. can. 6.* cuius verbò *Ministris*, cum vel maximè veniant Diaconi, inde istorum quoque Ordinationem verum Sacramentum, à Christo Domino institutum, DD. passim, & laudatus Vasquez ad eò indubitatè infert; ut id absque errore negari non posse, & à DD. negantibus, eam Concilii definitionem, vel non esse lectam, vel non intellectam, asserat *cit. disp. 238. n. 10.* ubi idem desumit ex Diaconi Ordinatione; cum enim ipse etiam ordinetur per impositionem manuum, & verba, *Accipe Spiritum sanctum*, secundum Pontificale Romanum *Tit. de Ordinat. Diaconi*, ipsius quoque Ordinatio, ne verba illa effectu careant, conferet Spiritum sanctum & gratiam, quæ per manuum impositionem solet conferri; ac proinde verum novæ

Legis Sacramentum erit, *cit.* Bellarm. *cap. 6.* Vasquez *n. 11.* & Laiman *cap. 4. num. 4.*

De subdiaconatu & quibus iste olim 9. accensebatur, *c. à multis 9. de Etat. & qualit. de minoribus quatuor Ordinibus, an Sacramenta, vel Sacramentalia tantum sint, licet clara Ecclesiæ definitione aut convinceati ratione non demonstratur, multò tamen frequentiori DD. calculò recepta sententia ipsis etiam gratiam conferendi tribuit virtutem & Sacramenti dignitatem; quod à Concilio Florentino §. sextum *cit.* & Trident. *cit. sess. 23. cap. 2. & 3.* sicut Ordinem Sacramentum esse definitivè & indistinctè asseritur, ita in Ordinum numero *Subdiaconatus* & alii §. *cit.* & *cap. 2.* quatuor minores, scilicet Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus & Ostiariatus Ordines referantur & exprimentur, *cit.* Laiman *cap. 4. n. 5.* Palao *Tract. 27. disp. Unica p. 3. n. 8.* & Bonacina *de Sacram. disp. 8. q. unica p. 2. n. 2.**

At, inquires, si non Presbyteratus 10. duntaxat, sed cæteri quoque Ordines omnes vera & quia materiam & formam ab aliis diversam & diversum etiam effectum ac finem proximum singuli habent, ab illo ordine distincta Sacramenta sunt, quæ ratione septem tantum novæ Legis Sacramenta & non plura statuuntur? Communis & vera responsio est, licet à Presbyteratu Episcopatus saltem inadæquatè, cæteri autem Ordines adæquatè distincta & vera Sacramenta singuli sint, veri tamè & completi Sacramenti nomine omnes simul sumptos in Ecclesia semper venisse; cum, quia eodem genere proximo Ordinis sive Ordinationis, omnes comprehenduntur: tum verò; quia ad ultimum & principalem finem unum eundemque, scilicet ad Consecrationem

Hh h 3 & corpo

& corporis ac sanguinis Christi consecrationem, omnes referuntur, & sacerdotii ministerio subserviunt, *citt. Vasquez disp. 238. n. 25. & Laiman cap. 4. n. 5.*

II. Institutum autem hoc Ordinis Sacramentum à Christo Domino est in ultima Cœna; in qua Apostolis Corporis & Sanguinis sui, per panis & calicis consecrationem, conficiendi potestatem conferendò & præceptum imponendò Verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, Lucæ c. 22. v. 19. eos novi Testamenti Sacerdotes constitutos, Catholica Ecclesia semper intellexit, & luculenter declaravit Trident. *sess. 22. cap. 1. de Sacrif. Missæ.* Cùm autem Evangelicis sacerdotibus ex ordinatione sua, præter conferendi, à peccatis etiam absolvendi potestas necessaria sit, ista cum Sacramenti Pœnitentiæ institutione, illi adjecta à Christo est Joan. c. 20. v. 23. Verbis *Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis &c.* ut iterum aperte declarat eadem S. Synodus *sess. 14. cap. 5.* Ubi Apostolos, & sacerdotes eorum successores, à Christo iudices, ad quos crimina in Confessione deferantur, constitutos, ait *citt. Vasquez disp. 239. n. 3. & 4.*

II. Cùm sacerdotali in ultima Cœna eò inferiores Ordines institutos, communis sensus est DD. quòd sacerdotali Ordini omnes alii subserviant, & ad illius ministerium referantur, Henriquez *Lib. 10. cap. 3. n. 6.* Reginald *Lib. 30. n. 6.* Fillicius *Tract. 9. cap. 1. q.*

III. Summum Ecclesiæ Pontificatum post resurrectionem à Christo institutum, *Tir. 6. n. 346.* est dictum. Ab eodem etiam Episcopatum cum successione perpetua institutum, tradit Apostolus, dum ait, *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas alios autem Pastores & Rectores ad consummationem sanctorum in opus ministerii &c.* Ephes.

cap. 4. v. 11. quod post eandem Resurrectionem factum, SS. Ecclesiæ PP. deducunt ex Verbis, *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*, Matth. cap. 28. v. 20. Barbosa *de Offic. Episc. p. 1. Tit. & cap. 1. n. 6.* & Jordanus *Lacubras. Vol. 1. Prælat. 3. num. 3.*

ARTICULUS II.

De singulorum Ordinum Materia & Forma.

SUMMARIUM.

14. De illorum Materia Remota Proximaque & Forma in genere.
15. In specie I. Tonsuræ Clericali.
16. II. Quatuor Ordinum Minorum.
17. III. Subdiaconatus.
18. Cujus materia non est traditio Libri Epistolarum.
19. IV. Diaconatus.
20. Cujus collationi premissa manus impositio ritus est accidentalis.
21. V. Presbyteratus, exigentia duarum materiarum ac formarum partialium.
22. Ejus materia partialis non est manuum impositio prima.
23. Secundum Aliquos DD. nec secunda.
24. Quam de Ordinationis Sacramentalis substantia esse communis.
25. Et vera sententia defenditur.
26. VI. Episcopatus, manuum trium Episcoporum impositionem expræsentantis.

Ecclesiasticorum Ordinum materiam duplicem, Remotam & Proximam passim statunt Theologi. Remotam vocant remota instrumentum, vas, librum &c. quæ Ordini

quæ Ordinem suscipienti traditur in signum spiritualis potestatis: Proximam verò ipsam ejusmodi rei, puta instrumenti, Valis, libri &c. sive materiæ Remotæ traditionem, secundum Concilium Florentinum, quod in *Decreto Fidei §. Sextum* utramque materiam comprehendens, *Ordinis materia* inquit, *est, per cuius traditionem confertur Ordo.* Formæ autem nomine intelligunt verba, exprimentia spirituali potestatem, quæ in rerum illarum traditione ab ordinante proferuntur, ut colligitur ex §. cit. Belarmin. *de Sacram. Ord. cap. 9. §. 18.* Bonacina *de Sacram. Ord. p. 3. n. 1. §. 12.* & Gobat *Experient. Theolog. Tract. 8. à n. 37. §. 64.*

15. Ad singulos autem Ordines descendendo, de materia formæque primæ Tonsuræ non laborant, qui eam è propriè dictorum Ordinum numero excludunt. Ii verò, qui illam his accensent, pro remota materia assignant superpelliceum, istiusque traditionem pro proxima: pro forma autem verba, *Induat te Deus novum hominem* &c. statuunt apud Fagnanum *in c. Cum contingat 11. de Ætat. & Qualit. n. 69.*

16. Oltiariatus materia remota sunt claves Ecclesiæ & cymbalum, quò populus ad illam convocatur: Lectoratus liber Lectionum, sive Epistoliarum, Prophetarum, Homiliarum seu sermonum, qui ex SS. PP. in Ecclesia solent legi: Exorcistatus liber Exorcismorum: Acolythatùs cerofenerium cum cereo seu candela non accensa & uno vel duobus urceolis vacuis. Proxima verò horum quatuor minorum Ordinum materia sunt dictorum instrumentorum, librorum, vaforum traditiones, juxta Concilium Carthag. IV. à *cap. 6.* & Pontificale Romanum *Titt. de Minor. Ord.* quibus referuntur verba, quæ in illorum traditionibus ab ordinante proferuntur, & singulorum ejusmodi Or-

dinum constituunt formam, Palao *Tract. 27. disp. Univ. p. 4. n. 19. cit.* Bonacina à *n. 6.* & Gobat *n. 42.*

Subdiaconatus, qui hodie Sacer, c. *A 17. multi 9. de Ætat. & Qualit. & Majorum infimus Ordo* est, materia remota est calix vacuus cum patena superposita, *cit.* Concilia Carthag. *cap. 5.* & Florent. §. *Sextum cit.* hanc & proximam istius Ordinis materiam complectens verbis, *Subdiaconatu verò per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: ad quam actionem Episcopus profert verba, Videte, cuius ministerium vobis traditur,* constituenta hujus sacri Ordinis formam, Vasquez *disp. 238. cap. 5. n. 5.* Laiman *Lib. 5. tract. 9. cap. 5. n. 3.*

Traditur quidem in istius sacri Ordinis collatione etiam liber Epistoliarum: quem ordinandis omnibus simul tangentibus Episcopus dicit, *Accipite librum Epistoliarum & habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti,* quibus verbis & libri illius traditione Subdiaconatus materiam ac formam partialiter constitui nonnulli verisimiliter volunt, cum; quia ante libri Epistoliarum traditionem subdiaconi nondum ordinati, sed ordinandi Vocantur in Pontificali Rom. *Titt. de Ordin. Subdiaconi:* tum verò; quia ad istius sacri Ordinis collationem non minus necessaria videtur traditio libri Epistoliarum, quam est traditio libri Evangeliorum ad collationem Diaconatus. Ita Viguerius *Instit. Theolog. cap. 6. §. 6. V. 1.* & Tannerus *disp. 7. q. 2. n. 57.*

Sed verius libri Epistoliarum traditionem, & huic accedentia verba in Subdiaconatus collatione solius præcepti, non Sacramenti, necessitate adhiberi, cum S. Thoma *in 4. dist. 25. q. 1. art. 1. ad 2.* & VV. aliis defendunt ex RR. *cit.* Vasquez *cap.*

18.

quez cap. 5. n. 49. Palao n. 13, & Illfong Theolog. Pract. tract. 6. disp. 8. n. 32. & alii, præcipuè nixi Authoritate Conciliorum Carthag. & Florent. l. cit. pro Ordinis istius materia assignantium traditionem calicis ac patenæ sine ulla mentione libri Epistolarum. Ratio est; quia verbis, *Videte cujus ministerium vobis traditur*, ad contactum calicis & patenæ relatis sufficienter exprimitur præcipuum ministerium Subdiaconorum: quod est in Missæ sacrificio Sacerdoti inservire, calicem ac patenam mediante Diaconò ministrandò, non cantare vel legere Epistolam: sicut secundarium tantum Diaconi officium est cantare vel legere Evangelium: primarium autem est Episcopo vel Sacerdoti sacrificanti proximè inservire, secundum Concilii Carthag. cit. cap. 4.

Neque adversatur; quòd ante Epistolarum libri traditionem subdiaconus necdum *Ordinatus*, sed *Ordinandus*, dicitur in Pontificali Romano; quia ab isto ordinatus non vocatur, antequam ordinatio peracta etiam sit quoad solennitatem & caremonias requisitas necessitate præcepti, libri illius traditionem exposcentis. Neque etiam paritas est cum diaconi ordinatione; quia de istius substantia Evangeliorum libri traditio est; quòd diaconi officium ullius rei alterius, quam Evangeliorum libri, traditione non significatur, ut mox patebit.

19. Diaconatus remota liber Evangeliorum, & istius traditio proxima materia est, ex mente Concilii Florentini §. cit. utramque materiã comprehendens, dum ait, *Diaconatus confertur per libri Evangeliorum dationem*. Forma autem sunt verba, quæ Episcopus ordinandis, manu dextra librum illum à se traditum tangentibus, profert dicendò, *Accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, eam pro vivis quam pro defunctis, in no-*

mine Domini, Amen. Cur autem assignatã formã Diaconi potestas ad secundarium potius sive lectionem Evangelii quam ad primarium actum muneris huius proximum servitium in sacificatione exprimitur, rationem reddit S. Thomas in 4. dist. 24. q. 2. art. 3. ubi *Potestas*, inquit, *Diaconi est media inter potestatem Subdiaconi & Sacerdotis; Sacerdos enim directè habet potestatem super corpus Christi, Subdiaconus verò super vasamentum, sed Diaconus super corpus in vasis contentum*. Unde ejus non est tangere *Corpus Christi, sed portare Corpus Christi in patena & dispensare sanguinem Christi in calice: & ideo ejus potestas ad actum principalem non potuit exprimi nec per dationem vasis tantum nec per dationem materia, sed exprimitur potestas ejus ad actum secundarium in hoc, quòd dicitur *liber Evangeliorum & in hac potestate intelligitur alia; & ideo in ipsa libri datione imprimatur character*. Hæc S. Doctor Angelicus: quocum pro illius sacri Ordinis materia Evangeliorum libri traditionem assignant Vasquez dist. cit. cap. 4. à n. 35. cit. Bonacina n. 4. Palao n. 10. & Illfong n. 31. in hanc sententiam ducti Authoritate Concilii Florent. §. cit. solam Evangeliorum libri traditionem pro Diaconatus materia statuentis, & alterius rei traditionem non verbò quidem attingentis contrã, quia oportuisset, si præter illam aliò quopiam illius materia constitueretur.*

Præmittitur libri Evangelii traditioni impositio manûs Episcopalis super caput ordinandi; quia, ut cit. Concilii Carthag. cap. 4. loquitur, *Diaconatus non ad sacerdotium sed ad ministerium confertur*: ex quibus verbis Diaconatus materiam aliqui cum Bellarmino cit. cap. 4. ex parte, alii ex toto in manûs impositione constituunt, cum Durando cit. dist. 24. q. 2. a.

9. 3. à n. 7. cui tamen Opinioni utrique adverteratur authoritas Florentini §. cit. pro Diaconatus materia libri Evangeliorum traditionem disertè statuente; ut nec ista omnino excludi, neque impositio manûs addi possit; cum, si ad Diaconatus materiam etiam ista pertineret, exprimenda fuisset; ne materiam illam Evangelici libri traditio sola constitueret, ejusque solius expressione manuum impositio exclusâ videri posset.

Neque etiam, manûs impositionem ad Diaconatus materiam pertinere, evincunt relata verba Concilii Carthaginensis, cum; quia hoc illis non Presbyteratus & Diaconatus materiam statuere: sed solummodo impositionis manuum in utriusque Ordinis collatione intervenientis differentiam assignare intendit: tum verò; quia verba illa generalia & cuilibet ordinationi accommodata sunt, ullumque peculiare ministerium Diaconi non significant; ut propterea neque ipsa pro forma, neque impositio manuum, ad quam referuntur, pro Diaconalis vel Sacerdotalis Ordinis materia rectè assignentur, ut rectè observat *cit.* Vasquez n. 39.

Presbyteratus collatio, cum perficiatur duabus Ordinationibus partialibus, quarum alterâ in Corpus Christi Verum sive Eucharistiam conficiendi & offerendi; alterâ in Corpus Christi Mysticum sive fidelibus peccata remittendi potestas confertur, duas parciales materias ac formas requirit. Pro priori Ordinatione & collatione potestatis ad actum primum, sive confectioem & oblationem Eucharistiae Concilium Florentinum §. Sextum *cit.* utramque Proximam & Remotam materiam comprehendit verbis, *Presbyteratus traditur per calicis cum vino & patene cum pane porrectionem.* Formam verò paucis interjectis subjungit, *Forma, inquit, sacerdotalis est, Accipe*

potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Pro ordinatione posteriori & collatione potestatis ad actum secundarium, sive solvendi ac ligandi potestatem, materia est impositio manûs Episcopalis: forma autem verba, *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt, cit.* Laiman *cap.* 5. n. 2. Palao *num.* 4. & 7. & Illung n. 28. & 30.

Prioris & actum primum respicientis potestatis collationem, calicis ac patene traditione perfectam, etiam præcedit impositio manuum, in qua sacerdotalis Ordinis materiam constituit S. Bonaventura in 4. *dist.* 24. p. 2. *art.* 1. q. 4. ductus autoritate Concilii Carthag. *cit.* *cap.* 3. in Ordinatione Presbyteri solius impositionis manuum Episcopi & præsentium sacerdotum mentionem facientis, & relati *can. Presbyter* 7. *dist.* 23. Sed huic Seraphici Doctoris Opinioni adverteratur torrens cæterorum DD. fere omnium, teste Vasquez *cit. disp.* 239. *cap.* 3. & ipsum Concilium Florentinum §. *cit.* pro Ordinationis sacerdotalis, actum primum respicientis, materia statuens solam calicis cum vino & patene cum pane porrectionem: & merito; cum enim Ordinis materia generatim sit illud, *Per cuius traditionem confertur Ordo, §. cit.* sacerdotalis Ordinis materia aptissima erit porrectio calicis cum vino & patene cum pane; cum per hanc solam & verba, *Accipe potestatem offerendi sacrificium, sacerdotalis Ordo quoad potestatem, actum primum respicientem, conferatur, Coninck disp.* 20. n. 60. *cit.* Laiman n. 2. & Bonacina p. 3. n. 2.

Neque adverteratur Concil. Carthag. *cap.* 3. *cit.* quia, ut taceam; quòd hoc ab aliquibus exaudiatur de impositione manuum

num posteriori, Concilium illud non materias ac formas Ordinum designare, sed rituum, quibus isti conferuntur, diversitatem declarare intendit: & si sacerdotalis Ordinis potestas prior manu impositione conferretur, sacerdotem non solum Episcopus, sed ceteri quoque sacerdotes manus cum eo imponentes ordinarent, quod nemo facile concedet.

23. Non hanc duntaxat, sed posteriorem quoque manuum impositionem ad sacerdotalem Ordinationis substantiam non pertinere, sed ejus ritum solummodo accidentalem esse, cum Sylvestro *V. Ordo 2. n. 11. Soto in 4. dist. 24. q. 1. art. 4. concl. 7.* & aliis late propugnat Fagnanus *in c. Presbyter 3. de Sacram. non iter. à n. 10.* Fundamenta ejus sunt primo, autoritas Concilii Florentini & Gregorii IX, quorum illud *§. Sextum cit. Presbyteratum* tradi, ait, per calicis ac patenæ cum vino & pane porrectionem: quod verum non esset, si cum ista concurrente manuum impositione conferretur: vel dicendum esset, istius Ordinis materiam ac formam non integram à Concilio assignatam; iste verò sive Gregorius Papa *c. fin. cit.* imprimis manuum impositionem in Presbyteri ac Diaconi ordinatione disertè habet pro ritu ab *Apostolis introducto*, ac proinde non substantiali: deinde eam, quando per errorem fuit omissa, sicut in quibusdam ritibus accidentalibus solet, *cautè suppleri*; non Ordinationem ex integro iterari jubet: sicut debet, quando omisus est ritus substantialis, *can. Per illicitam 1. q. 7. can. Solennitates 16. dist. 1. de Consec. c. Unic. pr. de Sacra Unct. c. fin. de Presbyter. non baptiz.* Secundo; quòd cujusvis Sacramenti materia & forma debeat esse propria; ut actum illius proprium determinatè significet, ut colligitur ex Tridentino, diversitatem Sacramento-

rum Baptismi & Pœnitentiæ tam ex materia quam ex formæ diversitate delimitante, *sess. 14. cap. 2. de Sacram. Pœnit.* Manùs autem impositio cæremonia non solum Sacramentis aliis, scilicet Confirmationi, *can. 1. can. De his 3. Et. dist. 5. de Consec. c. Unic. cit. §. Per frontem.* Ordinationi Diaconi, *c. 1. c. fin. de Sacram. non iter.* collationi Ordinum minorum, *can. 1. dist. 69.* sed etiam benedictioni Abbatis, *can. 1. cit. V. Lectoris, Hæreticorum reverforum aliorumque pœnitentium reconciliationi, can. Arrianos 73. pr. 1. q. 1. can. Qui recidunt 7. pr. c. can. 14. qui 26. q. 6. & aliis actibus sit communis Fagnan. in c. cit. n. 4.* Tertio; quòd in Presbyteri Ordinatione, sicut manuum impositio prima sacerdotalis Ordinis collationem antecedit, sic altera eam Ordinationem subsequatur, non obscurè argumentò, istà sacerdotalem Ordinem non tam conferri, quam collatum declarari; ac proinde ritum merè accidentalem, non substantialem esse.

Sed veriùs alterà hâc Episcopalis manùs impositione, tanquam materia partiali, sacerdotis Ordinationem perfectam constitui, defendunt *citt. Bellarm. cap. 9. Vasquez cap. 3. n. 16. Henricus Lib. 1. cap. 10. n. 11. Turrianus Lib. 4. Constitut. cap. 21. Coninck disp. 20. n. 10.* hisque RR. *citt.* qui etiam ipsi auctoritate & ratione nituntur. Illà; quia plura Concilia & Ecclesiæ Patres, sacerdotes manuum impositione ordinari, ajunt, ut Concil. Carthag. IV. *cap. 3. cit. Nicænum cap. 9. Moguntinum cap. 35. & novissimè Tridentinum sess. 14. de Extrema Unctione, cujus cap. 3. istius Sacramenti ministros esse, ait, Episcopos aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinatos per impositionem manuum presbyterii, ubi probè notanda est dictio Per causam efficientem dicitur*

tans, *can. Ut noveritis 22. q. 1.* Unde sacerdotem manuum impositione ordinari, etiam asserunt SS. Dionysius Areopag. de Hierarb. *Eccles. p. 1. cap. 5.* Clemens Lib. 8. *Constitut. Apostol. cap. 2.* Hieronymus in *Isaia cap. 5.* Ambrosius Lib. de *Dignit. Sacerdot. cap. 5.* Augustinus Lib. de *gestu cum Emerito*: quæ Concilia, Ecclesiæ PP. ac DD. de ritu solum accidentario locutos asserere, planè ridiculum censet Bellarmin. *l. cit.* ubi advertit verbo *Presbyterii* denotari manum Episcopalem, sive plurium, ut in Episcopali, sive unius tantum Episcopi, ut in hac partiali sacerdotis ordinatione. Ista, sive ratione; quod, cum Sacerdotes præter potestatem consecrandi corpus & sanguinem Christi Domini etiam habeant potestatem solvendi & ligandi: & posterior hæc, licet priorem necessariò præsupponat, ab ea tamen distincta sit, & per calicis ac patenæ cum pane & vino porrectionem non conferatur, eam conferri necesse sit per Episcopalis manuum impositionem ac verba, *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remisit &c.* quibus, non in ultima Coena, in qua instituta & Apostolis collata est potestas consecrandi, sed post resurrectionem prolatis, illi à peccatis absolvendi potestatem à Christo Domino acceperunt, Joan. *cap. 20. v. 23.* ut à S. Synodo Tridentina definitum est *sess. 14. cap. 1. §. Porro de Sacram. Pœnit.* ut adeò, sicut porrectio calicis ac patenæ cum pane & vino, & verba, *Accipe potestatem offerendi sacrificium*, sic etiam manuum impositio & verba, *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remisit peccata &c.* materiæ & formæ partiales sint perfectæ Ordinationis Sacerdotalis; cum verba ista cum Episcopalis manuum impositione conjuncta significant specialem gratiam, & peccata remittendi potestatem operentur,

Deducta in contrarium, speciosa magis quàm efficacia sunt. Primum, sive Conciliaris & Apostolica autoritas; quia Florentinum *§. cit.* non omnes, sed principales notioresque & illas tantum materias explicitè assignare intendit, quæ consistunt in traditione instrumentorum, ad actus Ordinum necessariorum: cujusmodi cum non sit Episcopalis manuum impositio, debile est, quod ab istius omissione defumitur argumentum, *citt. Palao n. 8. & Illung n. 30.* A Gregorio autem Papa *c. fin. cit. Ritus Apostolicus* vocatur manuum impositio, calicis ac patenæ traditionem antecedens, ut *in c. cit.* notant Innocent. Panormit. *n. 2.* & Barbosa *n. 1.* non istam subsequens. Et, si de ista sermo esset, ritus ab Apostolis introductus esset quoad solum usum vel determinationem: eaque omiſſa Ordinatio sacerdotalis non tota iteranda: sed sola manuum impositio cum verbis, *Accipe Spiritum Sanctum*, cautè supplenda esset, ut *ad Rubric. de Sacram. non iter. num. 9.* statueretur.

Secundùm; quia materia Sacramenti istius actum proprium significare non necessariò debet sola: sed sufficit, quòd eum determinatè significet conjuncta cum forma: sicut ejusmodi actum significat manuum Episcopalis impositio accedentibus verbis, *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remisit peccata &c.* Arcudius in *Concord. Sacram. ministr.* lib. 6. de *Sacram. Ordin. cap. 6. §. Ad sextum.*

Postremum; quia manuum impositio, calicis ac patenæ traditionem subsequens, presbyteri Ordinationem perfectam non supponit: sed eam plenè perficit, collationi potestatis in Corpus CHRISTI verum, potestatem in Corpus CHRISTI Myſticum addendò, ut satis est ostensum.

26. In Episcopatus materia statuenda variant DD. Verius cum Majore in 4. diff. 24. q. 1. & VV. aliis Henriquez de Sacram. Ord. cap. 7. n. 3. cit. Bellarmin. cap. 9. Vasquez disp. 240. cap. 5. n. 58. Laiman cap. 9. n. 1. & Palao §. 4. n. 1. ejus materiam esse conjunctam, manuum Episcopatum impositionem: Formam autem verba, *Accipe Spiritum Sanctum*, sicut desumitur ex Epistola 1. ad Timotheum cap. 4. v. 14. quò loco B. Paulus Timotheum hortatur, ut non negligat gratiam, quæ ei data est per Prophetiam & impositionem manuum presbyterii, sive Episcoporum, ut non obscure tradunt Concilia Carthag. IV. cap. 2. & Tridentinum sess. 23. cap. 3. testificans, per manuum impositionem, accedentibus verbis *Accipe Spiritum Sanctum*, conferri gratiam; imò istius exuberantiam & assumptionem ad gradum Episcopalem, quam conjuncta manuum ambarum, & non unius sed trium Episcoporum impositione, cum verbis illis conjuncta, sufficienter significari, advertunt DD. cit. An autem ea manuum impositio à tribus Episcopis Sacramenti vel solius Præcepti necessitate facienda sit, Tit. 6. à n. 339. discussi. Unctionem autem Chrismaticam, quæ in Episcopi consecratione adhibetur, de istius substantia non esse, Tit. 15. à n. 33. dicitur.

ARTICULUS. III.

De Temporibus & Interstitiis Ordinationum.

SUMMARIUM.

27. Prima tonsura quibuscunque:
28. Ordines minores Dominica & Festis:
29. Majores Ordinationum generalium Sabbatibus.

30. Et sequentis Dominica mand:
31. Episcopatus quavis Dominica,
32. Et aliquando cum Presbyteratu conferri possunt.
33. Conferendi Ordines sunt Gradatim,
34. Et servatis Interstitiis:
35. Quæ inter minores & Subdiaconatum,
36. Et inter majores Ordines annua sunt.
37. In iis fere cum suis:
38. Et aliquando cum Regularibus temporis Episcopi dispensant,
39. Hodie dispensationes restrictæ sunt,
40. Assignatis causis, ex quibus concedende,
41. Et negande sunt.
42. Privilegium speciale Societatis Jesu,
43. De festis in Foro, non in Choro tantum, est intelligendum.

Primam Tonsuram quovis tempore, die, horâ conferri potest, patet ex Pontificali Romano Tit. de Ordine. Conferend. ibi, *Clericus sive prima tonsura quocunque die & horâ & locò conferri potest*: & generalis consuetudine receptam esse, apud Fagnanum in c. De eo 3. n. 4. testis est Bellarminus in c. cit. q. 3.

Ordines etiam minores, non in Ordinationibus tantum consuetis: sed quovis die Dominicò & Festò, saltem uno vel alteri, posse conferri, c. 1. & c. De eo cit. disertè habetur. Sacros autem Subdiaconatus, Diaconatus & Presbyteratus Ordines ab Episcopis cæterisque Ordinibus, non nisi in Sabbatis quatuor Temporibus, Sabbatò Sanctò & Sabbatò Dominicam Passionis præcedente, in publica Ordinatione licitè conferri, patet, ex c. an. diff. 75. c. 1. 6. De eo cit. & Trident. sess. 23.

Sess. 23. cap. 8. de Reform. Imò c. *Sanè* 2. *hic* contraria Consuetudo, quod Ecclesiasticæ institutioni advesetur, dicitur improbanda: etsi, ubi ea viget & diu tolerata est, ei se conformantes à culpa & poena excusari, censeant Laiman in c. *cit. n. 2.* & Pirrhing *ad banc Rubr. n. 80.* quòd non advesetur Juri Naturali aut Divino, neque Ecclesiis sit damnosa.

30. Neque obstat; quòd Ordines etiam sacri conferri possint die Dominicò post Sabbathum Ordinationis, jejuniò ab hoc in illum diem continuatò; itaque Sabbathinò cæpta generalis Ordinum etiam majorum collatio, propter Ordinandorù multitudinè vel aliam rationabilè causam, translata perfici die Dominicò, *can. Quod à Patribus 4. dist. 75.* Non, inquam, hoc obstat; quia propter naturalis & omnem cibi potùsque sumptionem excludentis jejuniù continuationem, Sabbathum & manè diei Dominicæ, Canonici Juris fictione, hoc ad illud retrotrahente, quasi dies una: & Dominica matutina quasi dies Sabbathina reputatur, c. *Literas 13.* junctà Glosà *V. Uno die & V. Pertinere*, Laiman, *n. 2.* & Gonzalez *n. 3.* cui fictioni ansam dedit vetus Ecclesiæ mos, quò Ordinationi, in Sabbathi vespera inchoatæ, nocturnæ horæ impendebantur, illaque propter Ordinandorum multitudinem aliquando usque ad Dominicæ diei manè extendebatur, ut ex Franc. Hallierio *de Sacri elect. sect. 5. cap. 3. art. 3.* idem notat *n. 4.*

Denique, Consecrationi Episcopi diem Dominicam deputatam, ex *can. & S. sin. dist. 51. & can. Quod die 5. dist. 75.* ex antiqua Ecclesiæ traditione, & usu delumi solet.

31. Neque obstat; quòd *can. Proximè* *cit.* ipsi sola dies Resurrectionis attribuitur; quia istius memoriam non solà Paschatis, sed cujusvis hebdomadæ Domi-

nicà die celebramus, *can. Sabbatho 12. dist. 3. de Consecrat.* Unde cum Glossa in *can. & V. Quod à Patribus in fine dist. 75.* & Sylvestro *V. Ordo 2. q. 6.* Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 1. n. 4.* rectè infert, eum, qui die Sabbathi ordinatus est sacerdos, sequenti die Dominica in Episcopum consecrari posse; imò eum etiam, qui ex dispensatione, vel aliàs sacerdotiò initiatus est die Dominica, eadem in Episcopum licitè consecrari, probabiliter cenfet Sanchez, *Consil. lib. 7. cap. 1. dyb. & n. 15.* quòd Ordo Episcopatus non sit adæquatè distinctus à Presbyteratu; sed istius perfectio & complementum, juxta dicta *n. 6.* & propterea ejusmodi consecrationi non obstat prohibitio collationis duorum sacrorum Ordinum eodem die, c. *Literas 13. & c. Dilectus 15. cit.* ut cum Glossa *cit.* advertit Palao *Tract. 27. dist. unic. p. 13. n. 4.* contra Suarez *de Censur. dist. 31. f. 1. n. 41.*

32. Conferendi autem Ordines sunt Gradatim, incipiendò à prima Tonsura, & per Ordines minores ad majores ascendendò usque ad Presbyteratum & Episcopatum; ut nullus per saltum, hoc est, inferiore prætermisò, ad superiorem promoveatur, *can. Si officia 2. dist. 59. & c. Unico de Clerico per saltum promot.*

33. Servanda etiam Interstitia, sive intervalla temporum, ut plures simul, aut etiam duobus diebus continuis duo Ordines non conferantur, secundùm S. Synodi Trident. decretum *Sess. 23. cap. 11. de Res.* ubi tamen circa Ordines minores id relinquitur judicio Episcoporum: à quibus proinde ex rationabili causa possunt, imò ex Consuetudine hodie passim, in Germania præsertim nostra recepta, solent eodem die cum prima Tonsura conferri omnes Ordines Minores, Sylve-

Sylvester V. cit. q. 7. & aliis DD, relatis
cit. Barbosa alleg. 11. n. 19.

35. Cum minoribus Ordinibus eadem die Subdiaconatum recipi, etsi non permittant tam Jura, c. Cum H. 2. De eo qui surripiet & Trident. cap. 11. cit. quod inter illorum & sacrorum Ordinum collationem annuum spatium requirit, quam praxis Ecclesiarum: aliquando tamen minoribus Ordinibus initiatis die, ordinariam, imò etiam, extraordinariam collationem, vg. vespere Sabbathum præcedente, proximè sequente sive ipsò Sabbathi die Subdiaconatus conferri solet: & si necessitas vel utilitas Ecclesiæ, vg. quòd ei defuit idoneus minister, vel ordinandus obtineat beneficium, cui debet defervire, exigere Episcopo videatur, licite potest, ex doctrina Palai cit. p. 13. n. 5. & Fagnani in c. De eo cit. n. 41.

Quin, secundum Interpretem istum, si in aliqua Provincia vigeret, non reprobanda esset Consuetudo, cum minoribus eadem die simul conferentium Ordinem Subdiaconatus: quod ex dispensatione factum, & sæpe à se visum, testis est idem Palao n. 5. Ratio est; quia ejusmodi Consuetudo non damnata Jure antiquò, neque à Tridentino est sublata, teste Navarro Manual. cap. 25. n. 71. Henriquez Lib. 10. cap. 11. n. 4. & Suarez cit. n. 41.

Neque obstat; quòd ab istius S. Synodi PP. cit. Sess. 23. cap. 13. in fine sublata sint id faciendi Privilegia: quorum major vis est, quam Consuetudinis, juxta dicta Tit. 4. n. 47. Quia imprimis cap. cit. revocata tantum sunt Privilegia antè obtenta: non in posterum obtinenda. Deinde; quia eò tantum removen- tur Privilegia, vi quorum eodem die simul recipiuntur duo Ordines sacri. Demum; quia, etsi Privilegii vis major sit, quam Consuetudinis, ex eo tamen, quòd

illud sublatum sit, non inferitur sublata esse etiam istam; quia Conciliare Decretum ultra ea, quæ expressè sunt, non est extendendum, arg. Reg. Odis 15. in 6.

Sacri autem duo Ordines eadem die conferri disertè prohibentur, c. Litera & c. Dilectus cit. quibus locis, tam Episcopus, quam ab eo Ordinatus, plebiscitur pœnà suspensionis: ille quidem à collatione Ordinum sacrorum, quos simul contulit: iste verò ab executione Ordinis sacerdotalis, quem cum Diaconatu simul temerè recepit: & à Trident. cap. 13. & 14. cit. ubi inter Subdiaconatus & Diaconatus, inter istius & Presbyteratus collationem annuum saltem interstitium requirit: nisi Episcopo aliud exigere videretur Ecclesiæ necessitas aut utilitas: quæ, quia olim magna fuit, pœnissimè invaluit & recepta est consuetudo, in cujus Episcopi cum subditis suis Diocesanis & Regularibus non exemptis dispensant, aut in Literis Dimissorias concedunt facultatem cum ipsis dispensandi: ut, non quidem eadem die duobus, aut extra consueta tempora, sed duobus vel tribus Ordinationibus Ordinariis, ac proinde intra unius Quadragesimæ spatium duobus vel tribus sacris Ordinibus initiari possint, Pirrhing l. cit. n. 89.

Dixi, Cum non exemptis: imò etiam cum Regularibus exemptis; quia licet cum Prælatorum suorum licentia se suspendere Episcopi possunt, quoad gratias dispensationum & absolutionum recipiendas, ut Lib. 2. Tit. 2. n. 156. dicitur. Cum iisdem etiam Prælati Regulares, qui Ordines minores subditis suis conferunt, in illorum interstitiis dispensant, Miranda Tom. 1. Manual. Prælat. q. 77. art. 7. conclus. 3. & si in subditos licet Regulares habeant jurisdictionem quantum Episcopalem, satis probabiliter cum illis

lis dispensare etiam possunt in interstitiis Ordinum majorum, & ad hoc literas dimissorias dare, Suarez *Tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 12. à n. 21.* & cum eo cit. Pirrhing n. 90.

39. Hactenus de Jure & Consuetudine, indulgendi licentiam, extra tempora à Jure statuta, aut non servatis interstitiis, eodem & præsertim à S. Synodo Tridentina designatis diebus Ordines suscipiendi: quæ cum in Dominici gregis & disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum nimium invalescere videretur Innocentio XII. ejusmodi indulta in posterum parcius, & ex certis tantum & magis rationabilibus causis: neque ex his etiam necessariò, sed arbitriò Episcoporum, quorum conscientias hac in re strictissimè oneravit, concedi voluit, *Constitut.* quæ incipit *Speculatores, pridie Nonas Novemb. 1694.* publicatâ.

40. Causas autem, ex quibus ejusmodi indulta concedi possint, particularis Congregatio S. R. E. Cardinalium & aliorum Prælatorum, ad expendendas eas specialiter deputata, decretò super iis, eodem Papâ approbante, 14. Decemb. 1693 editò, rationabiles esse censuit. Primo, si ordinandi sint Referendarii utriusque Signaturæ, Familiares Papæ, vel Canonici, tam Collegiarum quàm Cathedralium Ecclesiarum, eorumve adiutores. Secundò, si iidem sint Magistri, hoc est, Doctores, Licentiati vel etiam Baccalauri SS. Theologiæ, vel Doctores aut Licentiati utriusque aut saltem Canonici Juris, in publica & approbata Universitate ejusmodi graduum aliquem consecuti; uti etiam, si trienniò sacræ Theologiæ studiis sedulam operam navarint; ut sacerdotalem Ordinem exigenti, vel alteri perpetuo beneficio aut etiam capellanix, ad vitam sibi concessæ, deservire per seipfos possint. Quartò,

ob penuriam sacerdotum, Secularium vel Regularium, in Provincia, Diocesi, vel Monasterio. Quintò, ob solatium Patris vel Matris, qui tamen quinquaginta ætatis annos exceßerit; uti etiam, si ordinandus vigesimum sextum annum exceßerit: quò tamen casu utroque cit. decretum exigit, ut extra statuta tempora (vel non servatis interstitiis) Ordines petens, per triennium saltem in habitu clericali honestè & laudabiliter vixerit.

Contra, ut eadem indulta concedantur, non expedire ac proinde causas minus rationabiles esse censuit Primò, quòd pro iis supplicans sit literarum Apostolicarum scriptor aut in Curia præfens. Secundò, quòd idem Nobilis vel Magister in artibus sit, aut absolverit cursum Philosophiæ. Tertiò; quòd sit Diaconus vel Subdiaconus, vel se alicui Ecclesiæ adscriptum aut Missarum onus aliunde, quàm ex beneficio Ecclesiastico proveniens, habere doceat.

Multò magis quàm his, illa deneganda censuit iis, qui indigent dispensatione in impedimento, ex eorum delicto proveniente: & sede Episcopali vacante, intra annum iis, qui ratione beneficii recepti vel recipiendi non sunt arctati.

Demum eadem indulta nunquam concedenda censuit pro Festivis diebus continuis, sed semper pro interpolatis aliquò temporis spatio, arbitriò Episcopi definiendò.

Privilegiò autem Apostolicò, extra dicta tempora, & non servatis Interstitiis, quoscunque etiam sacros Ordines conferri & recipi posse, res est omnino indubitata; cum Papa sit supra Jus Positivum, quò Ordinationum Tempora & interstitia sunt definita; sic enim à Gregorio XIII. *Constitutione* quæ incipit *Pium &*

41.

42.

Pium & utile, edita 22. Septemb. 1582. Societati JESU concessum est privilegium; ut ejus Religiosi extra dicta tempora & non servatis interstitiis, tribus continuis festis, tres Ordines sacros recipere possint: quod Privilegium per viam Communicationis non participant alia Religiones, speciali ejusmodi privilegio non munita, quæ aliis communicant in Privilegiis Societatis, ut constat ex tenore *Constitut. Pauli V.* quæ incipit *Quantum Religio*, pridie nonas Septemb. 1606. editæ, quæ ejusdem Societatis Institutum luculenter est confirmatum, Palao cit. p. 17. à n. 12.

43. Dubitant hic aliqui de qualibus festis ejusmodi Privilegia sint intelligenda. Et Rodriguez quidem Tom. 1. *Q. Q. Regul. q. 23. art. 5.* intelligenda, eximit de quibuscunque, quæ ritu duplici in Ecclesia celebrantur. Alii verò communiter ejusmodi Privilegia de iis tantum festis intelligunt, quæ sive Ecclesiæ universali, sive particulari tantum Diocesis Lege, statuto, vel Consuetudine, non tantum à Clero in Choro, sed in Foro etiam à Populo per Divinorum frequentationem & ab operibus servilibus abstinentiam celebrantur; quorum sententia omnino præferenda est hodie, postquam prior prohibita est decreto Urbani VIII. ut Card. de Lugo *Respons. moral. lib. 2. dub. 43.* monet.

ARTICULUS IV.

De Ordinandorum Qualitate.

SUMMARIUM.

44. *Femina Ordinationis incapax est.*
45. *Jure Divino.*

46. *Diaconisse, Presbyteræ &c. nulli ordine initiatae non erant.*
47. *Ordinibus initiari nequeunt Hæretici, maphroditæ,*
48. *Nondum Baptizati,*
49. *Vel confirmati,*
50. *Neophyti,*
51. *Infantes,*
52. *Et amentes.*
53. *Ætas præfixa Ordinibus majoribus.*
54. *Non exigit ultimum annum completum.*
55. *Minoribus certa ætas Jure statuta non est.*
56. *Ordinari ferè nequeunt conjugati,*
57. *Illiterati,*
58. *Consurati vel irregularitate impediti.*
59. *Uti & Ordinandi non subditi, ratione Originis,*
60. *Domicilii veri,*
61. *Beneficii Ecclesiastici,*
62. *Triennalia familiaritatis,*
63. *Vel Licentia seu literarum Dimissoriarum.*
64. *Non subditum ordinandum perit.*
65. *Episcopus perficere prohibetur à Papa:*
66. *Non etiam ab alio Episcopo capite ordinacionem.*

Plures sunt qualitates, quibus perditum esse oportet Ordinandum: & primò quidem, ut sit mas; feminas enim Ordinum Jure Divino incapaces esse, cum S. Thomas, de Fide esse, asserente, in 4. *dist. 25. q. 2. art. 1.* communis sensus & doctrina est cæterorum TT. & Canonistarum. Tradisumentium partim ex perpetua Traditione & usu Ecclesiæ, ad exemplum Christi, ipsam quoque Beatissimam Virginem & Matrem suam nullò Ordine condecorantis, manifestò indicio incapacitatis; cujus ratio est; quia Ordo est

natura sua ordinatum superiorem & in gradu supra reliquos Fideles eminenti constituit, illique hos docendi & Sacramenta ministrandi tribuit potestatem: cujusmodi superioritatis, eminentiæ & potestatis mulieres Jure Divinò incapaces esse, constat ex illo, *Sub potestate viri eris & ipse dominabitur tui*, Genes. cap. 3. v. 16. & *Omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris vir*, 1. Corinth. cap. 11. v. 3. quam huic *subditâ esse*, Apostolus dicit *ibid. cap. 14. v. 34.* ubi præterea mulieres in Ecclesia jussit tacere, non tantum docendi, sed etiam discendi gratiâ: ac proinde, si quid discere velint, domi viros suos interrogare; quòd turpe sit, in Ecclesia mulierem loqui.

Neque hac in re pro mulieribus facit; quòd utroque Testamento mulieres, Maria Soror Moysis, Num. cap. 12. v. 2. & Anna Filia Phanuel, Luca cap. 2. v. 36. Prophetissæ fuisse perhibeantur: quòd in Christo JESU inter masculum & feminâ non sit discrimen, Galat. cap. 3. v. 28. & in primitiva Ecclesia fuerint Diaconissæ ac Presbyteræ, *can. Presbyter 17. can. fin. disp. 32. & can. Diaconissam 27. q. 1.* Non, inquam, ista, & si quæ ejusmodi alia sunt, pro feminis faciunt; quia imprimis, licet eadem feminæ, quæ masculi ratio sit quoad justificationem & gratiam, quæ communicatur per fidem & Baptismum, de qua *cap. cit. Apostolus loquitur*: quoad superioritatem tamen & subjectionem docendique potestatem, non eandem utriusque rationem esse, ex eodem S. Gentium Doctore est ostensum, Laiman *Lib. 5. Theolog. Tract. 9. cap. 6. n. 2. in fine & Palao Tract. 27. disp. unica p. 6. n. 5.* Deinde; quia donum Prophetiæ superioritatem & spiritualem in alios potestatem ex se non infert, sicut Ordo, ac proinde illò præ-

ditum istius capacem esse, non infertur. Bellarmin. *de Sacrament. in gen. lib. 1. cap. 25. & Laiman cit. n. 2.* Denique; quia Presbyteræ & Diaconissæ, uti etiam Episcopæ, olim vocabantur aliquando mulieres virorum, qui cum ipsarum consensu ad Diaconatum, Presbyteratum vel Episcopatum erant assumpti: aliquando ætate provectiores viduæ, non per veram Ordinationem, sed Benedictionem & destinationem tantum simplicem ad quarundam Ecclesiæ rerum curam, Catechumenorum instructionem, & similia deputatæ, ut ostendit Vasquez *disp. 245. cap. 3. n. 49.* & advertunt Tamburinus *de Jure Abbatiss. disp. 32. q. 2. n. 1.* & Barbosa *in can. Diaconissam cit. n. 6. & c. Nova 10. de Panit. & remiss. n. 4.*

An autem illarum capax sit Hermaphroditus, optimè resolvit Palao *Tract. 29. disp. 6. p. 11. n. 1.* quòd quantumvis, sicut Ordinum, cum femineus, incapax: ita cum virilis sexus in eo prævalet, capax esse videatur Jure Divinò; cum posteriori casu simpliciter vir reputetur, *l. Quaritur 10. ff. de Statu hominum*, ab illis tamen repellendus sit non tantum, cum neuter: sed etiam, cum prævalet sexus virilis; quia monstrosus passim à DD. & ab Aristotele *Lib. 4. de Generat. animal. cap. 3. in fine* reputatur: & propterea, tanquam irregularis, sine Apostolica dispensatione ad Ordines non promovendus censetur, *arg. can. 1. disp. 36. Suarez de Censur. disp. 51. §. 2. n. 1. & Bonacina disp. 8. de Sacrament. q. Unica p. 5. n. 6.*

Secundò, ut sit baptizatus, *c. 1. c. 48. Apostolicam 2. de Presb. non bapt.* ubi ante susceptum Baptismum ordinatus baptizari, & iterum ordinari jubetur, manifestò indicio, Ordinum prius invalidè susceptorum. Ratio est; quia Baptismus est

K k k

mus est janua omnium aliorum Sacramentorum, *c. cit. & c. Per Catechismum 2. de Cognat. spirit. in 6. & quidem Fluminis, sive Aquæ; cum enim omnia Sacramenta signa visibilia & externa sint, externum & visibile fluminis Baptismum præquirunt: etsi ei, qui hunc recipere nequit, ad gratiam sufficiat Fluminis Baptismus, Palao *disp. unica cit. p. 5. n. 5. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 2. n. 8.**

49. Non Baptismi tantum, sed Confirmationis quoque Sacramentum Ordinationi præmitti, voluit S. Synodus Tridentina: cujus *Sess. 23. cap. 4. de Ref. decretum est, Primâ tonsurâ non initiuntur, qui sacramentum confirmationis non receperint.* Non quidem necessitate Sacramenti, ut cum Navarro *Manual cap. 22. n. 9.* & aliis advertunt Suarez *de Sacrament. disp. 38. f. 1. & disp. 42. de Censur. f. 3. n. 14.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 2. n. 14.* quod Ordo ex natura sua & institutione Christi Confirmationis Sacramentum essentialiter non præsupponat, ab eoque necessario dependeat: sed Præcepti duntaxat Ecclesiastici, contenti relatis Tridentini verbis, *Non initiuntur:* quæ cum in actu exercitio imperativa sint, vim legis habent, per tradita à Suarez *Lib. 3. de LL. cap. 15. n. 8.* sicut ejus vim habent eadem verba *Non initiuntur* relata ad sequentia, qui *Fidei rudimenta edocti non fuerint* &c. quibus præceptum contineri, communis sensus est DD. Unde susceptionem Ordinum sine Confirmatione graviter peccaminosam esse, cum Tannero *disp. 4. de Sacram. q. 4. n. 48.* volunt Pontius *de Confirmat. cap. 3. n. 6.* & Bonacina *disp. 8. de Sacram. q. unica p. 5. n. 9.* quod præceptum in materia gravi graviter obliget. Alii tamen eâ admittam, culpam venialem tantum esse, sustinent

cum *cit. Navarro n. 9. Suarez f. 1. & Barbosa n. 15.* Imò aliqui apud Quatanadvennas *Singular. Tract. 2. sing. 4. n. 3.* eam, contemptu & scandalo factis, omni culpâ vacare, existimant; quod obligationem non indicent verba Concilii; cum non tam rigorosum præceptum, quàm directionem quandam ac monitionem contineant: & non ad suscipientes, sed ad ordinantes dirigantur. Verum, quia præceptum continent quoad Rudimenta Fidei &c. non apparet, quomodo non præcepti, sed directionis tantum vim habeant, quoad Sacramentum Confirmationis.

Tertiò, ut non sit Neophytus, sive à Paganismo vel Judaismo ad Fidem Christianam recenter conversus, *can. Neophytus 8. dist. 61.* nisi in hac benedictus fore Episcopi arbitrio judicetur, Henriquez *Lib. 14. cap. 4. n. 7.* & Barbosa *ibid. p. 1. Tit. 2. Gloss. 17. n. 60.*

Quartò, major septennio, aut etiam prima Tonsura licite conferatur, *c. fin. ibi, Nullus infanti clericalem conferre præsumat tonsuram, in 6. sub pena suspensionis à Clericali Tonsura obligatione per annum, in ejus prohibitionis transgressores lata, c. cit.* Nisi tonsuratus esset infans, *Qui Religionem intraret,* hoc est Religioni, ut olim minoris erat, à parentibus offerretur, ut *c. cit.* cum Glossa *V. Intraret* & Anselmano advertit Laiman *pr. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 111. n. 5.*

Dixi imprimis *Licet;* quia etiam infanti Ordines valide conferri, patet *c. Unico, de Clerico per saltum promotus* ubi ante annos discretionis minoribus, & postea, omisso Diaconatu, Sacramentum initiationis, solum Diaconatum recipere jubetur. Ratio est; quia, etsi *Pænitentia & Matrimonium valide suscipiuntur*

queant ab eo, qui caret usu rationis, cum incapax sit veri doloris ad illam, & consensus ad hoc essentialiter requisiti, suscipi tamen ab iis ita possunt sacramenta, quorum valor non pendet ab actibus suscipientis; modò iste illorum colationi non resistat: cujusmodi, cum sicut Baptismus, Confirmatio & Eucharistia, sic etiam Ordo sit, hic validè conferetur infanti, ut cum S. Thoma in 4. dist. 25. q. 8. art. 1. q. 2, aliisque TT. docent Laiman *Theolog. Moral. lib. 5. tract. 9. cap. 6. n. 4.* & Palao *Tract. 27. dist. Unic. p. 7. n. 2.* etsi hujusmodi infans, postquam ad annos discretionis pervenerit, si à statu clericali alienus sit, reclamare possit, & ad continentiam, Ordinibus sacris annexam, non teneatur: nisi expressè, vel tacitè sacri Ordinis actum exercendò, ratam habuerit suam ordinationem, Hostiens. in *Summa n. 31.* & Fagnanus in c. *Unic. cit. n. 54.*

52. Eadem, quæ infantis, ratio est amentis, qui nunquam usus est ratione; aut, cum istà uteretur, Ordines postulavit; hunc enim validè Ordinari, arg. c. *Unic. cit.* communiter tradunt DD. qui tamen id meritò negant de amente, qui aliquando usus est ratione: & cum istà uteretur, Ordines nunquam postulavit; quia sacramenta, quæ non necessitatis, sed voluntatis sunt, repelluntur, si postulata non sint tempore, quò libere suscipi & postulari potuerunt, ut advertunt *cit.* Vasquez *disp. 246. cap. 1. n. 12.* Bonacina p. 5. n. 3. & Palao p. 7. n. 4.

Deinde dixi, *Septennium* requiri ad primam tonsuram; quia de ætate ad ipsos Ordines, præsertim Minores, cujusmodi olim etiam Subdiaconatus erat, jure antiquiore requisitè, admodum variant DD. propter obscuritatem textuum 93. *can. In singulis 2. & seq. dist. 77.* Jure ve-

rò Recentiori Subdiaconus 18. Diaconus 20. & Presbyter 25. ætatis annò ordinari permittebantur, *Clement. fin.* Episcopus verò non nisi trigesimò completò c. *Cum in cunctis 7. pr. de Elect.* Denique Novissimò Jure S. Synodi Trident. statutum est, ne quis ad Subdiaconatum ante 22. ad Diaconatum ante 23. ad Presbyteratum ante 25. ætatis suæ annum promoveatur, *Sess. 23. cap. 12. de Ref.* Unde duplex dubium oritur.

Primum, an hi anni completi esse debeant, sicut trigesimus requisitus ad Episcopatum. Verùm, quia de hoc id expressè habetur, c. *Cum in cunctis cit. pr.* ex cuius dispositione eligendus ad Episcopatum 30. ætatis suæ annum debet *Exegisse*: non item de tribus Ordinibus majoribus. Imò istos tam S. Concilium quàm Clementina *cit.* conferri permittunt annò ætatis vigesimò secundò, tertio vel quinto, (quod de annis duntaxat inchoatis verificatur) in dubio completos requiri, rectè negatur arg. *Reg. Odia 15. & Reg. In obscuris 30. in 6.* & receptà Ecclesiæ Praxi confirmatur, Navarrus *Manual. cap. 25. à n. 69.* Gutierrez *Lib. 1. Canon. q. 2. cap. 26. n. 8.* & multis aliis DD. relatis Barbosa in c. *Cum in cunctis cit. n. 5.*

Alterum de ætate, hodie requisita ad Ordines Minores. Ratio dubitandi est; quòd laudatum Concilium, nullà certæ ætatis mentione factà, illos iis conferendos asserat, qui intelligunt linguam Latinam, *Sess. cit. cap. 11. de Ref.* quod cum ante nonum aut decimum ætatis annum rarò contingat, ante istam ætatem minores Ordines conferre rarò licebit, *cit.* Vasquez *cap. 4. n. 41.* & Palao n. 6. in fine. Etsi casu, quò ejus linguæ notitia impletò septenniò haberetur, illos conferri eà ætate posse, existimet *cit.* Laiman *cap. 7. n. 1.* & suadeat ratio; quòd ad-

quod adfit scientia requisita à Tridentino, quoad ætatem non immutante Jus antiquum; secundum quod tres saltem minores Ordines post septennium conferri potuisse, DD. communiter defumunt ex *can. In singulis cit.*

56. Quintò, non conjugatus, *c. fin. in 6.* ubi conjugato etiam prima Tonsura conferri prohibetur: nisi Religionem intrare, vel ad sacros Ordines promoveri velit cum consensu uxoris: quæ tamen etiam Religionem ingredi; aut saltem, si suspectæ ætatis non sit, in seculo manens Continentiæ votum emittere debet, per expressos textus *c. Cum sis 4. c. Conjugatus 5. & c. Uxoratus 8. de Convers. conjug.*

57. Sextò, Literatus, *c. fin. cit.* cujus *v. Qui verò*, illiterato, uti & conjugato extra casum Jure permissum, primam Tonsuram conferens ab ejus collatione per annum suspensus est ipsò Jure, Glossa *fin. in c. cit.* Suarez *disp. 31. de Censur. f. 5. n. 2.* Quanta autem Literarum scientia pro singulis Ordinibus necessaria sit, declarat Tridentinum *cit. Sess. 23. de Ref.* Et per primam quidem Tonsuram ad statum clericalem deputandos callere vult rudimenta Fidei, & legendi scribendique peritiam habere, *cap. 4.* Pro Ordinibus minoribus linguæ Latinæ intelligentiam postulat, *cap. 11.* Ad Subdiaconatum verò & Diaconatum exigit, ut ordinandus præter linguam illam etiam instructus sit notitiâ eorum, quæ ad suum officium sive ejusmodi Ordinum exercitium requiruntur, *cap. 13.* Denique Sacerdotiò initiandos habere vult scientiam, sufficientem ad rite administranda Sacramenta & populum erudiendum in iis, quæ necessaria sunt ad salutem, *cap. 14.*

58. Septimò, Nullâ censurâ vel irregularitate, sive ex delicto sive ex defectu

quocunque proveniente, irretitus, *c. 1. in 6.* atque insuper bonæ vitæ & excommunicationis publicæ; quia enormi aut gravi aliquo crimine notoriè vel publicè irretitus & infames ab Ordinibus, vel omnino, vel saltem ad tempus arcendos, defumitur ex *can. Infames 6. q. 1. c. c. Ex tenore 4. & c. fin. hic.*

Octavò, esse debet subditus ordinanti, *c. 1. & c. Cum Nullus 3. & c. fin. in 6.* Ordinanti autem subditus esse potest quinque modis. Primò quidem ratione Originis, si natus sit ex patre, in ordinantis Diocesi constitutum domicilium habente: vel, si domicilium in ea constitutum non habeat, ex ea saltem oriundo: etiam si ordinandus alibi natus sit ex matre, illic etiam cum patre occasione officii, legationis, mercationis, vel juslibet alterius rei aut negotii generalis causâ ad tempus morante, vel ex itinere divertente ac transeunte, ut ex *l. ff. ex unico 30. ff. ad Municip. & l. Civis 7. C. de Incolis* desumunt Panormit. in *l. Rodulphus 35. de Rescript. n. 9.* Felonus in *c. cit. n. 13.* aliisque relatis Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 4. n. 4. & 5.* D. N. Innocentio XII. *Constit. quæ incipit Speculatores, pridie Non. Novemb. 1694.* editâ magis declaratur.

Excipiuntur tamen primò, & maternæ originis Episcopo quoad Ordinum susceptionem subjiciuntur, de quorum paterna Origine & domicilio, alicubi constituto non constat, Gonzalez *ad Reg. 8. Gloss. 9. §. 1. n. 14. & cit.* Barbosa *n. 16.* uti & illegitimi: quorum non paterna, sed materna origo spectatur, *arg. l. 1. & l. Ejus qui 9. ff. ad Municip. nisi Principis rescripto sunt legitimi;* hi enim, uti & Adoptivi, patrem sequuntur, Glossa *in l. 1. cit. v. Parentibus.* Secundò excipiuntur expoliti, quorum parentes ignorantur; hi enim non solent ab Episc.

ab Episcopo loci, in quo nati: sed ab eo etiam, in quo expositi sunt, ordinari possunt; cum utriusque loci efficiantur cives, *citt. Gonzalez n. 14. Barbosa n. 17. & 37. & Jordanus Lucubr. lib. 3. Tit. 6. n. 47.* Tertio, nati seu orti ex loco nullius diocesis; hos enim quoad ordines subijci Episcopo Viciniori, quem ejusmodi locus semel elegit, ut ab hoc eis Dimissoria dari possint, à S. Congreg. Card. Interpp. 5. Maji 1587. declaratum, testis est Pialecus *Prax. Episc. p. 1. cap. 1. art. 2. n. 5.* Quarto, Pagani & Judæi conversi: qui, sicut Originarii ejus diocesis, in qua baptizati & spiritualiter nati sunt, sic etiam ejus Episcopo, quoad Ordinum susceptionem, subijci censentur, *citt. Gonzalez n. 109. & Jordanus n. 41.*

60. Secundo, ratione Domicilii: quod in ordinantis diocesi duntaxat habet, qui licet alibi natus sit, in locum tamen intra illius fines situm se transtulit, animò ibi stabiliter & perpetuò habitandi: nisi forte redeundi animò ad tempus aliò avocetur, *l. Cives cit. l. Assumptio 6. §. 2. ff. ad Municipalem, citt. Barbosa n. 22. & Jordanus n. 57.* Cujusmodi stabilem & perpetuam habitationem in loco, in ordinantis Diocesi sito, constituisse, ad Ordinum recipiendorum effectum, à S. D. N. Innocentio XII. *citt. Constitut. §. Subditus* censetur, qui vel per decennium saltem in eo habitandò, vel majorem rerum & bonorum suorum partem cum instructis ædibus in eum transferendò, ibique insuper per considerabile tempus commorandò, satis superque suum perpetuò ibidem permanendi animum demonstraverit: & ulterius utroque casu, se verè animum hujusmodi habere jurejurandò affirmarit.

61. Tertio, ratione Beneficii quoad Ordinum susceptionem Episcopi jurisdictioni hodie subijciuntur clerici: qui, licet ejus subditi, ratione Originis aut Do-

micilii contracti, non sint, in ejus tamen diocesi obtinent & pacificè possident beneficium Ecclesiasticum, cujus reditus ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam Synodalem, sive, ista deficiente, juxta regionis morem pro promovendis ad SS. Ordines, detractis oneribus, per se sufficiunt, vi *Constit. cit. §. Licet verò*, secundum quam proinde hodie Episcopus imprimis cuicumque, ratione Originis aut Domicilii in sua Diocesi contracti, non subdito, primam Tonsuram conferre nequit, prætextu cujuscumque Beneficii, ab eo etiam statim, postquam clericali Tonsurâ insignitus fuerit, obtinendi, etiam si beneficium de novo eâ lege fundatum sit, ut ille immediatè post clericalem characterem susceptum in eo instituat, §. *Nulli.* Deinde, etiam clericum extraneum à proprio suo Episcopo primâ Tonsurâ, aut etiam minoribus Ordinibus jam initiatum, ad ultiores Ordines promovere nequit ratione Beneficii in sua diocesi siti, si ille ad hoc solummodo præsentatus sit vel nominatus, aut super ejus jam obtenti proprietate vel possessione mota sit lis, vel brevi movenda timeatur. Præterea extraneum ordinare nequit ratione Beneficii, etiam plenè obtenti & pacifici, si id ita tenue sit, ut ejus reditus ad ordinandi congruam sustentationem per se, sive soli non sufficiant: etiam si ejus redituum defectus adjunctione proprii etiam pinguis patrimonii, quod ordinandus obtinet, valeat suppleri, §. *Licet cit.* Demum, clericum extraneum, à proprio Episcopo primâ Tonsurâ aut etiam minoribus ordinibus initiatum, ratione Beneficii, ad sustentationem etiam per se sufficientis in sua diocesi possessi, ad altiores ordines promovere nequit: nisi ante eorum susceptionem ab Originis vel domicilii sui Episcopo obtinuerit, & exhibuerit literas Testimoniales super natalibus,

K k k 3 libus,

libus, ætate, moribus & vita, in actis Curia Episcopi ordinantis conservandas: de quibus literis, uti etiam de reditu ejusmodi beneficii, in consueta collatorum Ordinum attestazione expressa mentio fieri debet, ex præscripto §. *Licet cit.*

62. Quartò, ratione triennalis Familiaritatis cum Episcopo huic quoad Ordinum susceptionem subjectus est, qui, licet ei ratione Originis, Domicilii vel Beneficii jam obtenti subditus non sit, in ejus tamen, ad Episcopatum jam evecti, familia aut servitio trienniò continuò ipsius Episcopi sumptibus vixit, ex decreto S. Synodi Trident. *sess. 23. cap. 9. de Ref. Cujus Ordinationem huic Episcopo permittendi, etsi ea ratio fuisse videatur, & à cit. Palao p. 15. n. 6. & Barbosa alleg. 5. n. 6. perhibeatur; quòd triennali servitio & cohabitatione familiaris sui mores, an Clericali vitæ congruant, satis perspectos habere censetur: hodie tamen ex cit. S. D. N. Constitutionis §. *Ad hæc familiaris suo Ordines minores & primam etiam Tonsurâ conferre Episcopus, absq; propriæ istius Originis vel domicilii Episcopi literis Testimonialibus super natalibus, ætate &c. prohibetur: eique statim, hoc est, saltem intra terminum unius mensis à die factæ Ordinationis ad congruam sustentationem per se sufficiens beneficium re ipsa conferre jubetur, §. cit. ne cum clericalis status opprobrio mendicare aut sordidum aliquem quæstum exercere cogatur. De ejusmodi autem beneficio alicui providere, cum in Episcopi solùm Titularis potestate non sit, huic familiaris sui ordinatio interdicta est à Trident. *sess. 14. cap. 2. de Ref.* ut cum cit. Garcia *cap. 5. n. 85.* & aliis observant *cit.* Palao *n. 6.* & Barbosa *n. 17.***

63. Quintò demum, ratione Licentiæ seu literarum Dimissoriarum: vi quæram Episcopo quoad Ordinum suscepio-

nem subijcitur, qui aliquò ex relatissimis subditus non est, ut §. *sequenti* declarabitur.

Porro, contra relatam S. D. N. Innocentii *Constitutionem* aliquem Ordine præsumens, ipse quidem à collatione Ordinum per annum: ordinatus quoad susceptorum Ordinum executione, quoad diu proprio ejus Episcopo expedire videbitur, eò ipsò est suspensus, aliisque gravioribus pœnis, pro culpæ modo & Romani Pontificis pro tempore existens arbitrio, infligendis, subijcitur equidem §. *Ita verò.*

Dubium hîc est, an quis Ordine unum ab Originis, alium ab alio v. g. Domicilii vel beneficii Episcopo collatui possit. Ratio dubitandi oritur ex *Cum in distribuendis 12.* ubi à Papa Ordine aliquo initiatus alium sine istius licentia ab alio consequi nequit. Venit hoc ita dispositum est, ob excellentiam & reverentiam Apostolicam potestati specialiter debitam, & exigentemur, sicut collatio beneficii Ecclesiastici, cui Papa manus apposuit, aliis interdicta est, *Extravag. Ad Romani 14. inter com. de Tract.* sic etiam ordinatio Clerici per primam Tonsurâ collatione à illo capta, ab alio Episcopo sine licentia non perficiatur: si enim ob reverentiam debitam Episcopo in altari, in quo is Missæ sacrificium obtulit, eò die alteri presbytero celebrare sine ipsius Episcopi licentia, extra casum urgentis necessitatis, non licet, *can. fin. junctâ Glossâ V. Non presumat, de 2. de Consec.* multò minus Ordinationem clerici, capta à summo Pontifice, sine istius licentia manus apponere interdictum licebit, Gonzalez *in c. Cum in distribuendis cit. n. 2.* Quare, istius *c. reata* non obstante, Ordinationi ab uno v. g. Originis Episcopo per primam Tonsurâ vel Ordinum minorum collationem capta, & ab alio v. g.

lius v.g. Domicilli aut Beneficii Episcopus manus apponere, eamque superiores Ordines conferendò perficere valet; quia potestatem habet cum illo concurrentem, ut *arg. c. Nullus cit. docent Laiman in c. Cam in cit. §. Est autem & Zælius ad hanc Rubric. n. 16.*

Neque obstat; quòd regulariter concessa optione, re præsertim non amplius integrâ, variatio denegetur; eò quòd electione semel factâ optionis jus consumptum videatur; quia imprimis Ordines à Prælatò, cui quis aliquo ex recentis modis subiectus est, peti Jure permittuntur: variatio autem circa diversos Ordines prohibita non reperitur. Deinde; quia minores Ordines ab uno, Subdiaconatum autem & superiores Ordines ab alio Episcopo petens non variat circa idem, sed circa diversa; cum singuli Ordines ab aliis specie sint distincti; ideòque, licet Ordinem aliquem ab uno recipiens indultum à Jure optandi jus consumplerit circa eum, id tamen non consumpsit circa alium: quem proinde ab alio petere potest, sicut, qui debitorem in loco contractus convenit ob debitum, eundem in alio loco propter delictum convenire non prohibetur, *Zypæus Consult. Canon. 3. de Ætate & Qualit. n. 8.*

ARTICULUS V.

De Literis Dimissoriis.

SUMMARIUM.

- 67. Episcopus suos ordinare potest per alios.
- 68. Datis ad hos Dimissoriis.
- 69. Quas ad ipsum subditis suis dant Prælati Regulares.
- 70. Dare eas potest Episcopus confirmatus.

71. In Germania probabiliter, in concordia electus.

72. Circa earum concessionem Vicariis Generalis,

73. Capituli Cathedralis, sede vacante,

74. Et Prælatorum Regularium exemptorum potestas.

Quantumvis Episcopos, ut Ordines per seiplos conferant, S. Synodus Tridentina adhortetur, *sess. 23. cap. 3. de Ref. in firmitate tamen autaliter impediti, subditorum suorum Ordinationem aliis: nec solum suis, si quos habent in Pontificalibus, Vicariis, sive, ut vulgò vocantur, Suffraganeis: sed aliis quoque extraneis Episcopis committere, illòsque ordinandi licentiam dare possunt, can. Episcopum 6. ibi, Nisi foris cum voluntate & testimonio propria originis Episcopi, p. q. 2. & c. fin. ibi, Nec absque licentia superioris sui, hic in 6. Cujusmodi licentia conceditur literis patentibus, c. 1. in 6. quas S. Synodus Tridentina Dimissorias, *sess. 7. & cit. sess. 23. utrobique cap. 10. de Ref. Hispani Reverendas vocant. Palao Tract. 27. disp. Univ. p. 15. n. 8. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 7. n. 2.**

Eas autem literas ordinando concedere post Papam potest Episcopus & quilibet alius Prælati, à quo ratione alicujus ex causis *an. 59.* declaratis Ordines peti & concedi possunt; *Potest enim quis per alium, quod potest facere per se ipsum, Regula est 68. in 6.* Episcopò tamen inferiores Prælati, tam Regulares quàm Seculares, eas dare solum possunt ad Episcopum suæ, non alienæ diocesis, *c. Cum nullus 3. in 6. & Trident. sess. cit. cap. 10.* Nisi facultas eas ad quoscunque voluerint, dandi eis competat Privilegiò vel aliò jure speciali, *Gloss. in c. cit. V. Indultum vel in certi territorii populum exercent jurisdi-*

jurisdictionem Ordinariam & quasi Episcopalem, *cit. Barbosa alleg. 7. n. 6. & 8.*

70. Porro Episcopo Dimissorias dandi facultas post acceptam Confirmationem competit, quantumvis nondum sit consecratus; quia eas concedere non est actus Ordinis, sed Jurisdictionis, quam consequitur per Confirmationem, *Glossa in c. Transmissam 15. V. De talibus, de Elect. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 55.*

71. An eas, in Germania, saltem nostra, dare valeat, ad Episcopatum in concordia electus, dubium est. Quod oritur ex *c. Nihil 44. V. Ceterum de Elect. ex cujus dispositione, cum in partibus ab Urbe valde remotis in concordia, hoc est, unanimi omnium, vel saltem majoris & sanioris partis consensu electis, minori parte non contradicente & contradicendi iustam causam non habente, administratio in spiritualibus & temporalibus, solâ alienatione exceptâ, competat, etiam subditos suos ordinandi; ac proinde etiam Dimissorias dandi facultatem obtinebunt. Quare, licet in Germania nostra in Concordia electi plerique administratione ante acceptam confirmationem abstineant, tamen non apparet ratio, cur eam sibi concedentis Juris communis privilegio uti, si velint, non possint, ut in *c. Nihil cit. agnoscit Laiman n. 12. Pirrhing hâc Librâ Tit. 6. n. 303. & Gobat Experient. Theolog. Tract. 8. n. 571.* ubi casum Dimissoriarum cum dispensatione in Interstitiis, ab ita electo ad Ecclesiam Sedunensem concessarum, & à Curia Episcopali Constantiensi, atque ipso etiam sedis Apostolicæ ad Helvetos Rhæticosque Legato, admissarum exemplum refert. Neque obstat; quod ab alio ita electo nuperimè datæ, in Curia Archiepiscopali admittæ non sint; quia repulsæ ex ea tantum ratione sunt; quod eas dantem in concordia electum fuisse, ipsis literis non*

fuerit expressum: quam repulsæ rationem reddens, eas, si id expressissent, admittendas fuisse, non obicere infirmari.

Dubium deinde est, an Dimissorias dare valeat Episcopi in spiritualibus generalis Vicarius &, Cathedrali Ecclesiâ vacante, Capitulum. Ratio dubitandi est, quod ex una, concessio literarum Dimissoriarum non sit actus Episcopalis Ordinarius, sed Jurisdictionis, ut paulo ante est dictum: ex altera verò parte, ejusmodi Vicarius Jurisdictionem Episcopalem, si quidem in eodem tribunali cum Episcopo exerceat, *c. Non putamus 2. de Consecr. & c. Romana 3. de Appellat. utrobique 6.* eadèmq; sede vacante, penes Capitulum sit, *c. His que 11. & c. Cum olim 14. de Majorit.* Nihilominus Vicarii jurisdictionem ad illarum concessionem non extendere, nisi speciali mandato instructus sit, vel ipsi permittat consuetudo, vel Episcopus in remotis agat, clare dictum est *c. Cum nullus cit.*

Capitulo etiam, sede vacante, illis concedendi facultas, etsi antiquo competere, *c. cit.* Novissimò tamen Jure Tridentini sic restricta est, ut post annum quidem subditis diocesanis omnibus; intra annum verò, à die vacationis sine obitu Episcopi computandum, eas concedere non possit, nisi archæatis ratione beneficii recepti aut recipiendi, hoc est, iis, qui jam actu obtinent, aut electi, presentati vel nominati sunt ad beneficium Ecclesiasticum, v.g. Parochiale exigens ordinem sacerdotalem intra annum recipiendum, *sess. 7. cap. 10. de Ref. Suarez de Censur. dist. 31. f. 1. n. 20.* & multi alii quos refert & sequitur, *cit. Barbosa alleg. 7. n. 10.*

Hoc tamen non obstante, Capitulum toto Vacantis sedis tempore literas Testimoniales de vita & moribus dare potest iis, qui à summo Pontifice licentiam habent. *Or-*

beat Ordines à quocunque Episcopo, cum proprii sui Episcopi attestazione de vita & moribus, recipiendi, Quaranta in Summa Bullar. V. Ordo §. Suspensionis & Bonacina cit. disp. 8. q. Unic. p. 4. n. 27. Quin etiam intra annum Vacationis alicui Episcopo extraneo liceatiam dare potest, in sua Diocesi Pontificalia exercendi, & ipsos SS. Ordines conferendi quibuscunque à Papa, vel extraneis à propriis suis Ordinariis, aut Religiosis Diocesanis à Prælatiis suis Regularibus, imò etiam Clericis secularibus suæ Diocesis, ab Episcopo defuncto vel Legato Apostolico literas Dimissorias habentibus, Sanchez lib. 7. Consil. cap. 1. dub. 26. & Barbosa alleg. 7. num. 14.

14. Dubium denique est de Prælatiis Regularibus exemptis: à quibus, perinde ut à non exemptis, Dimissorias subditis sibi Religiosis: sed non nisi ad Episcopum, intra cujus Diocesim monasterium est situm, dari posse, communiter desumitur ex c. Cum nullus cit. & Ordinatione Clementis VIII. 15. Martii 1596. relatâ à Barbosa alleg. cit. n. 18.

Excipitur tamen imprimis ab eodem summo Pontifice casus, quò talis Episcopus à sua Diocesi est absens, aut Ordines non collaturus; tum enim ab iis Dimissoriæ (expressâ tamen in his causâ absentia proprii Episcopi, vel Ordinationis ab eo non faciendæ) ad alienum Episcopum dirigi possunt, Barbosa *ibid.* n. 32. Deinde Prælati exempti, habentes proprium & exemptum territorium, in eoque Jurisdictionem quasi Episcopalem exercentes; hi enim subditis suis etiam secularibus Dimissorias ad alterius Diocesis Episcopum dare possunt, Barbosa *ibid.* n. 8. Denique Ordines Regularium, à sede Apostolica specialiter Privilegiati, ut cum superiorum suorum licentia sive Dimissoriis à quocunque Episcopo Catholico

possint Ordinari: quorum privilegia, neque à Tridentino cap. 10. cit. neque allegatò Clement. VIII. decretò sunt revocata, Barbosa alleg. 4. n. 6.

ARTICULUS VI. De Titulo Mensæ,

SUMMARIUM.

75. Titulus Mensæ, ordinando necessarius, est
76. Vel I. Beneficii, ad sustentationem sufficientis.
77. Stabilis.
78. Actu collati & pacifice possessi.
79. Et non obnoxii renuntiationi.
80. Vel II. Patrimonii, saltem cum beneficio sufficientis.
81. Ordinari quis nequit ad Literaturam.
82. Vel censum redimibilem.
83. Ad bona, quorum utilitas ad alium spectat.
84. Neque ad hereditatem, quam expectat.
85. Nisi assignetur certa portio.
86. Impuranda in Legitimam.
87. Et transmissibilis ad hæredes.
88. Aliquando sufficit Titulus Pensionis &c.
89. Vel III. Paupertatis, ad quam Professus.
90. Et in societate JESU Scholasticò Ordinatur.

Sacris Ordinibus initiandus instructus esse debet Titulò, ut vocamus 75. Mensæ: quò nomine hic intelligitur causâ honestæ & perpetuæ sustentationis: de qua, ut sacris licitè initietur, clerico prospectum, esse Ecclesia voluit, can.

luit, *can. 1. can. fin. dist. 70. c. Accepimus 13. de Beat. & qualir. c. Cum secundum 16. & c. Tuis 23. de Prabend. & dignit. partim; quod æquum sit, ut ei, qui ad Ecclesiæ & Altaris servitium perpetuò deputatur, prout per majorum Ordinum susceptionem fit, de congrua & non deficiente sustentatione sit provisum, secundum Apostol. 1. Corinth. cap. 9. v. 13. partim verò; ne, qui Divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis decore mendicare aut sordidum aliquem quæstum exercere cogantur, ut post S. Hieronymum *can. Diaconi sunt 22. §. Mendicat. dist. 93. relatum S. Synodi Tridentinæ PP. loquuntur sess. 21. cap. 2. de Res. Turrecremata in can. 1. cit. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 19. n. 2.**

76. Est huiusmodi Titulus triplex, scilicet Beneficii Ecclesiastici, Patrimonii & Paupertatis Religiosæ.

Ad primum, sive Beneficii & propriè dictum Titulum requiritur primò; ut beneficii, sive unius sive plurium, proventus certi, & independentè à propria industria, ad honestam, & statum Clericalem potiùs, quàm nobilitatem, doctrinam, aliàsve huiusmodi qualitates decentem sustentationem, Episcopi arbitriò sint sufficientes, *c. Episcopus 4. ibi, De quo necessaria vita percipiat, de Prabend. & Trident. cit. cap. 2. Barbosa alleg. cit. n. 9. & 10.*

77. Secundò, ut illud sit perpetuum, ab eoque Ordinatus ad arbitrium removeri non possit; ideòque ad Commendæ aut Vicariæ temporalis, Capellanæ amovibilis & cujuscunque merè manualis beneficii Titulum quis ordinari non potest, *cit. Barbosa n. 25. & Jordanus Lucubrat. lib. 3. Tit. 6. n. 308. neque ad titulum Coadjutoriæ temporalis, aut etiam cum futura successione: nisi hanc assecuto cum istius jure fructuum portio competens,*

& ad honestè decentèrque vivendum sufficiens esset assignata, *Garcias de Benef. p. 2. cap. 5. n. 132. cit. Barbosa n. 23. & Jordan n. 315. vel Pensionis, quam quis habet super alterius beneficio, hæc non sit perpetua: sed, ut ferè solet, Pensionarii, sive illam solventis morte extinguatur, Ugolinus de Offic. Episc. cap. 26. §. 10. n. 4. Barbosa l. cit. n. 74. & Pithing ad hanc Rubric. n. 69. in fin.*

Tertiò, ut actù sit obtentum & positivè possessum, secundum Trident. *can. 2. cit. & propterea quis Ordinari nequit ad titulum beneficii, ad quod solummodo electus, vel postulatus, vel præsentatus est, aut nominatus; quia huiusmodi beneficium non possidetur: imò neque obtentum, sed primùm obtinendum est per confirmationem, admissionemve aut institutionem, cit. Garcias n. 130. & Barbosa n. 28. neque etiam ad beneficium, imò per cujus proprietate aut fructibus contentus, vel istorum parte tanta, ut restant ad congruam sustentationem non sufficiat: & probabiliùs etiam, super cuius possessione lis est mota; propter defectum pacificæ possessionis, à Tridentinis requisitæ, l. cit. Barbosa ibid. n. 20. & Pylao *Tract. 27. dist. Unic. p. 10. n. 8. Ordinari tamen aliquem Subdiaconum & Diaconum posse ad beneficium, cujus fructus percipiendi primùm sunt post susceptionem Presbyteratus Ordinem, à S. Congreg. Cardinal. Interpp. declaratum, perinde cit. Garcias n. 110. uti etiam ad servitium Ecclesiæ, si ordinandus ad id cum jure percipiendi congruam sustentationem, donec istam stabiliter aliunde habeat, cum consensu Episcopi sit deputatus, quod ex Trident. *sess. 23. cap. 2. de Res. defumi cum Flaminio de Resig. lib. 2. g. 6. num. 33. aliis tamen dissentientibus, existimat Zerola *Prax. Episc. V. Dissessoria §. 1. dub. 1.****

79. Quartò, ut ab ordinando, neque ipsum beneficium per renuntiationem (nisi facta mentione; quòd ad ejus Titulum fuerit promotus, & congrua, eaque perpetua sustentatio aliunde habeatur, juxta dicta *Tit. 9. n. 14.*) dimitti: neque ejus fructus specialis hypothecæ vel aliò titulo obligari possint; quia, rem alienare prohibitus, ejusmodi etiam hypothecæ, vel aliò titulo eam nequit obligare, *arg. l. fin. C. de Reb. alienis non alien. cit. Barbosa n. 48. & Palaon. 9. § 13.*

80. Patrimonii nomine hic veniunt quæcunque bona clerici, sive ea profecta à patre: sive aliunde ex hæreditate, legato, donatione, industria vel aliò titulo sunt quaesita: dummodo ad honestam & stabilem ejus sustentationem sufficere, Episcopi Ordinantis arbitrio, judicentur: ad cuius improprie dictum & per quandam æquiparationem titulum, ut ex *c. Episcopus cit.* bona Patrimonialia Titulo proprie dicto & beneficii opponente, colligitur, ex decreto Tridentini ordinari tantum possunt, quos pro necessitate vel utilitate suarum Ecclesiarum assumendos Episcopi judicârunt: hodie vero, quicumque ad clericatum idonei solent, *cit. Flaminus 9. §. n. 8. & Garcias n. 74.*

Quin ad sacros Ordines admitti de Jure etiam potest, cuius nec beneficium, nec patrimonium seorsim, ad congruam clericum sustentationem sufficit: dummodo ad hanc simul sumpta sufficere arbitrio Episcopi judicentur; ut talis clericus ad Titulum partim Beneficii, partim proprii Patrimonii promoveatur, ut cum Ugolino *de Potest. Episc. cap. 36. §. 8. n. 2.* & aliis DD. advertunt *cit. Barbosa n. 14. & Palaon p. 10. n. 2.* Etsi tale beneficium hodie non sufficiat, ut quis ratione ipsius Episcopo quoad Ordinum susceptionem sit subjectus, juxta dicta *n. 61.*

Debent autem bona, patrimonialia,

ad quorum duntaxat Titulum clericus promovetur, esse certa; ut de illorum ad clericum honestè decentèrque alendum sufficientia constet: immobilia; ut non facile consumi vel extingui possint: fructifera; ut ex annuis illorum proventibus clericus ali possit: libera, hoc est, nullò hypothecæ specialis vel aliò titulo alteri obligata: & denique firma; ut neque clerico facile auferri, neque ab eo alienari, vel cessione aliqua in alios transferri, eisve obligari validè possint; quia aliàs facile eveniret, ut iis consumptis, vel annuum proventum non reddentibus, vel in alios translatis, contra mentem & intentionem Tridentini, congrua alimenta clerico desissent, *cit. Ugolinus cap. 26. §. 1. & 11. Barbosa n. 55.*

Unde ordinari quis non potest ad 81. Titulum industriae vel officii valde honesti, vel artis, etiam liberalis aut Literaturæ v.g. Doctoratus, vel Licentiæ ad eum, etiam ex Theologia vel Canonico aut utroque Jure capiendum, jam obtentæ: etiam si inde honestam, & valde liberalem sustentationem sperare possit: quod à Cardinal. Interpp. declaratum, testis est *cit. Garcias cap. 5. n. 12 §.* quia vir etiam maximè industrius peritissimusque inutilis reddi, indeque necessariis alimentis destitui, variis casibus & ex variis causis potest.

Neque ad Consum redimibilem; 82. quia ejus redemptione pretium, quò emptus est, donec alium emendi occasio se offerat, consumi, in eoque fundata congrua sustentatio deficere facile potest, Ugolinus *cit. §. 10. n. 2. & §. 12. n. 3.* aliis DD. non dissentientibus. Excipiendus tamen est casus, quò cum ejusmodi censu in Titulum assignato adhibetur cautio, ut, si redemptio fiat, pretio ex decreto Episcopi apud idoneas personas depositò, quàm primùm potest, alius census, vel

L l l 2 sus, vel

ius, vel res fructifera comparatur, *citt.* Palao *p. 11 n. 9.* & Barbola, id à S. Congreg. Card. Interpp. declaratum esse, asserens *n. 55. in fine.*

83. Neque ad bona, quorum ipse solummodo Directum: Utile verò dominium alius habet; quia ex istis; cum nullos fructus percipiat, vivere non potest, *citt.* Ugolin. *s. 9. n. 3.*

84. Neque etiam ad hæreditatem, quam expectat à patre vel matre, iisque ita opulentis, ut ex ipsorum bonis obventura legitima sustentura sit ad congruam & decentem sustentationem: nisi pater vel mater ad hanc sufficientem & certam portionem filio assignatam tradat, vel irrevocabiliter obliget; quia Tridentinum exigit non tantum, ut Ordinandus habeat congruam sustentationem: sed, ut patrimonium sive bona, ex quibus illa proveniat, vel pensionis percipiendæ jus, verè obtineat: quod, non assignatâ vel actu obligatâ ejusmodi portione, non obtinetur, *citt.* Flamin. *q. 6. n. 28.* Ugolinus *n. 3.* Barbola *n. 60.* & Pirrhing *n. 74.* excipiens eum, cujus pater est persona illustris, aut unus ex magnatibus; à talibus enim personis, ut ipsarum filii sacris inveniuntur, certæ portionis assignationem obligationemve in aliquibus Provinciis non exigi consuevisse: sed ejus promissionem literis authenticis expressam pro sufficienti titulo haberi, Laimannò allegatò, censet *n. 74.*

85. Dubium & controversia inter DD. est, an filio Ordinando à patre assignata bonorum portio debeat conferri, sive in legitimam imputari. Id enim negant Steph. Gratianus *Discept. Forens. cap. 159. à n. 32.* & aliis DD. relatis Barbola *cit. alleg. 19. n. 69.* & cum eo *citt.* Jordanus *n. 330.* partim; quod ejusmodi portio filio assignetur pro necessariis alimentis; ea autem, quæ ex causa necessaria

conceduntur, in legitimam non imputentur, per tradita à Surdo *de Aliment. Tit. s. 9. 57. n. 2.* perinde, imò multò minus, quàm expensæ factæ, ut filius renuntiatur Doctor, militiam ingrediat, dignitatem aliquam vel beneficium Ecclesiasticum consequatur: quæ non conferri, cum Rebuffo *Privileg. Scholar. 15. n. 1. & 3.* Velasc. *de Partit. cap. 13. n. 60. & 175.* Gutierrez *Practis. lib. 2. q. 67. n. 10.* & alii docent; partim verò; quod de portione, à patre pro Titulo filii assignata, filius liberè disponere, eam vendere, vel aliò modò alienare, aut obligare non possit: de bonis autem in legitimam imputandis liberè disponere filius debeat posse, ex doctrina Cravetta *Consil. 130. n. 3.*

Contra & verius ejusmodi portionem in legitimam imputandam, cum Covarruvia *in c. Raynaldus 18. de Testam. s. 2. n. 15.* Garcia *cit. cap. 5. n. 17.* & Ugolino *cit. s. 9. in fine* affirmat Molina *disp. cit. n. 15.* & suadet ratio; quia bona pro Titulo patrimonii assignata consumuntur, ut, quæ in alimenta, militiam, dignitatem vel beneficium impenduntur: sed permanent, ut transmittantur hæredes: imò, obtentò beneficio ad congruam sustentationem sufficiente, alienari valeant: cujusmodi bona transmittibilia &c. cum in legitimam imputentur, *Omni modò 30. s. 2. C. de Inofficiis testament. etiam ea, quæ pro filii Ordinandi Titulo assignantur, in legitimam imputanda & conferenda erunt.*

Neque aliud evincunt in contrarium allatæ rationes. Prima; quia, etiam in legitimam non imputentur assignata pro alimentis, si consumantur, in eam tamen imputantur, quæ conceduntur, non ut ipsa consumantur, sed ut ex eorum fructibus & proventibus alimenta percipiantur. Pari ergo ratione, etiam non imputentur.

imputentur, quæ ex portione pro Titulo assignata annuatim proveniunt, imputanda tamen erunt bona, in quibus portio illa consistit; quia non, ut consumantur: sed, ut firma maneant, conceduntur, *cit. Palao p. 1. n. 7.* Altera verò; cum quia ejusmodi portio, etsi alienari non possit, tamen ad hæredes transmitti potest: quod ad eorum collationem sufficere, patet ex *cit. §. 2.* tum verò; quia non simpliciter, sed eò usque tantum alienari nequit, quousque ordinando de congrua & firma sustentatione aliunde sit provisum, ut expressè tradunt *cit.* & nobis contrarii Gratianus *cap. 159. n. 14.* Barbosa *n. 89.* & Jordanus *n. 340.*

87. Ad Patrimonialem revocatur Titulus Pensionis, sive stipendii sustentationis, clerico ordinando assignata, eique annuatim præstandæ, donec consequatur beneficium Ecclesiasticum, vel de congrua sustentatione ipsi aliunde provideatur, *cit. Flamin. g. 7. n. 11.* & Barbosa *n. 73.* id à Cardinal. Interpp. declaratum, asserentes. Quam Pensionem ad sacros Ordines promovendo super re certa, immobili, & fructifera assignandam, monet *cit. Garcias n. 94.* saltem, si ejus præstationem promittat privatus; si enim hanc promitteret Princeps, Respublica aut Civitas, quibus ad honestè decenterque vivendum necessaria clerico subministrandi facultas nunquam deesse solet, sufficeret simplex promissio sive cautio instrumentaria, de alimentis Clerico præstandis. Quin moderna Praxi admitti ab illis factas promissiones de necessariis Ordinando præbendis sub conditione, si illum contingat indigere, advertit Pirrhing *l. cit. n. 73.* Denique ab Ecclesiæ vel Monasterii Prælato obtinendus Mensæ Titulus, ut idoneus sit, & Ecclesiam vel monasterium

& in illius Prælatura successorem obliget, cum consensu Capituli concedi debet, ut ex *c. 1. de Solut. & c. Quod quibusdam 4. hoc Libro de Fidejuss.* desumit Engel *Tit. 14. n. 18.*

89. Paupertatis Religiosæ nomine intelligitur Professio, edita in Religione approbata: ad cujus solius Titulum Religiosi, in harum aliqua solemniter & validè Professi, ad sacros Ordines possunt & passim solent promoveri, secundum *cit. can. 1. dist. 70.* cum enim Religio Professum suum alere teneatur, huic de congrua sustentatione provisum jam censetur. *Professi*, inquam, & *Validè*; quia Novitii & Professi invalidè, uti etiam quicumque Religionem liberè dimittere, ab eave ita dimitti possunt, sacros Ordines sine Beneficii vel Patrimonii Titulo, contra Decretum Trident. *cap. 2. cit.* recipientes, ab illorum ita susceptorum executione ipsò Jure sunt suspensi; ut, si in ejusmodi Ordinibus ministrare præsumant, ipsò factò irregulares fiant, ex *Constit. Pii V. quæ incipit Romanus 12. Novemb. 1568.* publicata.

90. Excipiendi tamen sunt, qui post impletum Novitiatûs biennium Religiosa quidem, sed Simplicia duntaxat, vota emiserunt in Societate JESU; hi enim, Piana Constitutione non obstante, etiam ante solennem Professionem sine alio Titulo ad sacros Ordines promoveri possunt, ex Privilegio à Gregorio XIII *Constit. quæ incipit Ascendente* edita 8. *Calend. Junii 1584.* indulto, & confirmato à Gregorio XIV. *Constit. quæ incipit, Ecclesia* edita 30. *Augusti 1591.* Simili Privilegiò, ut absque alio Titulo sacris initiari possint, Seminariorum Pontificiorum Alumni gaudent, ex speciali concessione ejusdem Gregorii XIII, 25. *Sept. 1584.* factâ.

ARTICULUS VII.
**De malè Ordinantium
 & Ordinatorum Pœnis.**

SUMMARIUM.

91. I. Infanti &c. conferens primam Tonsuram, ab istius collatione per annum:
92. II. Justam aetatem non habentem sacris initiis, ab omnium Ordinum,
93. Non etiam prima Tonsura, collatione per sententiam:
94. Ordinatus ab Ordinum executione ipsò Jure, suspensionem incurrit:
95. Nisi Ordines solum Minores,
96. Vel Majores bona fide receperit.
97. Eandem censuram incurrit ante justam aetatem ordinati Regulares.
98. III. Eòdem die conferens duos Ordines sacros, à collatione utriusque:
99. Eos recipiens, à posterioris duntaxat executione est suspensus.
100. IV. Extra consueta tempora Ordinans, illicitè collati,
101. Istoque superiorum Ordinum collatione privandus:
102. Ordinatus autem à suscepti Ordinis executione suspensus est,
103. Donec censura hac à Papa,
104. Vel à proprio Episcopo relaxetur.
105. V. Interstitiorum violatio pœna arbitraria obnoxia est.
106. VI. Sine licentia in diœcesi aliena Ordines,
107. Et primam etiam Tonsuram conferens, à Pontificalium:
108. Ordinatus à suscepti Ordinis executione suspensus est.

109. VII. Sine Dimissoriis subditum unum suum Ordinans, per annum ab ita collati,
110. Et caterorum quoque Ordinum collatione:
111. Ordinatus ab Ordinum ita superiorum usu suspensionem,
112. Ipso jure latam incurrit:
113. Licet ita collati sint Ordines tantum Minores,
114. VIII. Ultramontani, ab Italo sic ordinati, suspensionem Papa reservatam incurrit.
115. IX. Sine Titulo sacris initiis admissa præstare Ordinans,
116. Istius successores, & Archidiaconi tenentur.
117. Ordinatus, si à culpa, etiam à pœna immunis:
118. Secus, ab Ordinum executione suspensus est.
119. X. Paciscens, ne super alium molesteretur, triennio suspensus est ab Ordinum collatione.

IN eos, qui contra sanctiones Canonicas hæctenus declaratas ad Ecclesiasticos Ordines quemquam promoverè, eosve suscipere tenent præsumunt, variæ pœna pro temerarium attentionum varietate Jure sunt constitutæ.

Et primò quidem Episcopus vel alius, si infanti, illiterato, conjugato, vel diœcesano alieno sine superioris sui licentia (extra casus Jure specialiter permittos) Clericalem seu primam Tonsuram conferre præsumat, ab istius collatione per integrum annum ipsò Jure suspensus est, Constitutione Bonifacii VIII. relatâ e. fin. junctâ Glossâ fin. in 6. ut in eo, in quo peccavit, puniretur, c. *Quæp-vit* 2. De his, quæ à majori. Quæ ratio eum etiam militet contra eum, qui ejusmodi per-

modi personæ conferre præsumit Ordines minores, hunc quoque censurâ istâ affici, existimat Sotus in 4. dist. 25. q. 1. art. 2. Verùm, quia pœnales Juris dispositiones ob solam rationis identitatem vel majoritatem ad casum, sub lata verborum forma non comprehensum, porrigendæ non sunt, Reg. Odis 15. & Reg. In panis 49. junctâ Glosâ V. Eodem in 6. in eos, qui primam seu clericalem Tonfuram in casu non licito temere conferunt, c. fm. cit. statutam suspensionis censuram in illos, qui in simili casu temere conferunt Ordines minores, trahendam meritò negat Suarez de Censuris dist. 31. f. 5. n. 3. quòd, ut personis inhabilibus prima tonsura non conferatur, c. fm. cit. specialiter cautum sit; ne janua temere aperiatur ad Ordinem clericalem, quem illius tonsuræ collatio inducit; in quam rationem cum Ordinationis alterius cujuscunque temeraria attentatio non impingat, istius punitio aliunde petenda erit, quàm ex c. fm. cit.

92. Secundò, sacrum aliquem Ordinem scienter conferens non habenti legitimam ætatem, suspensionem à collatione Ordinum, non ipsò Jure, sed per sententiam imponendam incurrit, ex rescripto Honorii III. c. Vel non est 14. qui textus, cum ab Ordinum collatione suspensionem in Episcopum constituat generaliter, & absque ulla inter Ordines distinctione, de suspensione non à solius Subdiaconatus male collati, sed ab omnium Ordinum collatione exaudiendus est cum Glosâ & Hostiens. V. Suspendentes & Fagnano n. 32. ut Episcopus irregularitatem contrahat, si eâ suspensione insuper habitâ conferat Ordines minores: imò solummodo primam Tonfuram; quòd, licet hæc non sit Ordo, sit tamen ad hunc via seu dispositio; ut, Ordinum collatione prohibità, ipsius quoque col-

latio inhibita intelligatur; cum, quia aliquò prohibitò, prohibitum est omne id, per quod ad illud pervenitur, Reg. Cum quid unâ 39. in 6. tum verò; quia primæ tonsuræ collatio Ordinis Episcopalis, & ad Ordinum collationem præparatorius est actus. At esto, hoc ita sit, postquam tamè Tonfura illa in numerum Ordinũ admittitur non est, n. 3. c. Vel non est cit. dispositio à collatione Ordinum trahenda non est ad primam Tonfuram; quòd tanquam pœnalis coarctanda potius stictâ, quàm latâ interpretatione ab expressis Ordinibus extendenda sit ad primam Tonfuram, quæ expressa non est; ut adeo ob infantis, vel alterius legitimam ætatem non habentis, promotionem ad Ordinem sacrum ab Ordinum collatione suspensus, clericalem illam Tonfuram sine irregularitatis contrahendæ periculo valeat conferre; cum irregularitas non contrahatur, præterquam in casibus Jure expressis, c. Is qui 18. pr. de Sent. excom. in 6. primæ Tonfuræ autem collatione, ab ejusmodi suspensio attentatâ, irregularitatem contrahit, expressum non sit hoc ipsò; quòd, illius collationem ejusmodi suspensio interdictam, expressum non sit, c. Vel non est cit.

94. Is verò, qui talem, sive majorem Ordinem ante legitimam ætatem recepit, licet Ordinis recipiat characterem; quòd ad istius valorem certa ætas non requiritur, ab illius tamen executione usque ad legitimam ætatem, c. Vel non est cit. Veteri: modernò autem Jure Constitutionis Pii II. quæ incipit Cum ex sacrorum edita 5. Cal. Decemb. 1461. perpetuò est suspensus; ut si, antequam ab hac censura absolutus sit, in suscepto Ordine sacro ministrare præsumat, incurrat irregularitatem, & ultra alias pœnas beneficis Ecclesiasticis privari possit, Navarrus

Navarrus *Manual. cap. 25. n. 97.* Covarruv. in *Clement. Si furiosus p. 8. §. 1. n. 4.* Quaranta *V. Ordo pr. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 16. n. 15.*

95. Excipiuntur tamen & suspensionis poenam non incurrunt, Primò, si ante legitimam ætatem, etiam malâ fide, recipiant Ordines minores; quia istorum collationi certa ætas, & præmatura receptioni censura aliave poena imposita non reperitur, Navarrus *ad hanc Rubr. Consil. 31. n. 4. cit.* Suarez *5. 1. n. 23.* & Barbosa *n. 14.*

96. Excipiuntur secundò, sacro etiam Ordine ante legitimam ætatem initiati bonâ fide; quòd v.g. parentum vel superiorum testimonio decepti in iusta ætate se constitutos, existimârunt, *cit.* Suarez *n. 26.* & Barb. *n. 20.* quia suspensio non incurritur, nisi ob gravem culpâ, quam tales non commiserunt: & *cit. Constitutio Pia*na ante legitimam ætatem ordinati propositâ censurâ ligantur, si id fecerint *Scienter*: quæ sacri Ordinis receptio supponit dolum, deficientem in eo, qui Facti aut etiam Juris ignorantia, dummodo hæc crassa aut supina non sit, ante legitimam ætatem ordinatus fuit; ut adeò talis à censura illa excusetur, *c. Si verò 4. de Sent. excom. 8. c. Ut animarum 2. de Constitut. in 6. &* si ante legitimam ætatem ministrat, licet graviter peccet, non tamen contrahat irregularitatem, *arg. c. Is qui cit.* iustâ autem ætate superveniente in illo ministrare valeat sine prævia absolutione vel dispensatione, Covarruv. *cit. §. 1. n. 4.* Palao *tract. 27. disp. univ. p. 7. n. 9.* & Barbosa *n. 20. cit.*

Neque in contrarium facit; quòd *c. Vel non est cit.* in Diaconum ordinatus tredecim annorum puer, propter injuriam Ordini sacro illatam, à Prælo ab officii executione usque ad legitimam

ætatem fuerit suspensus: licet ipse non peccâsse, sed per simplicitatem prælo paruisse videatur; quia ea pueri suspensio non fuit vera censura; cum contracta non fuerit ob contumaciam & in poenam ipsius ordinati: & ab isto ejus violatione irregularitas non contrahatur: sed fuerit simplex prohibitio propter defectum ætatis, sacri Ordinis, sicut collationem receptionemque, sic & executionem non admittentis sine Apollolico dispensatione: qua temeraria ordinationis odiò & in quamdam ordinantis poenam à Papa indulta non fuit, ut in *c. cit.* cum Glossâ *V. Injuriam* notant Litsman *n. 2. & cit.* Suarez *disp. 27. §. 4. n. 3.*

Excipiunt aliqui tertio Regulares, sacrum Ordinem ante legitimam ætatem scienter recipientes; quòd *c. Vel non est cit. & Constitutio Pia*na expressè loquitur de clericis: quorum nomine non veniunt Religiosi, & propterea interdicti Ecclesiastico in Clerum latò non afficiuntur, teste Panormit. in *c. Bone 3. de Posul. Pralat. n. 2.* & Sylvestro *V. Interdictum 2. n. 17.* Sed, ut hoc verum sit, quando interdictio causam solus Clerus, aliud tamen dicendum est, quando Canonica prohibitio æqualiter recipit clericos Seculares & Regulares, illique transgressione æqualiter utriusque delinquant: sicut contingit in prohibitione ordinationis ante legitimam ætatem, istiusque transgressione; quarum poena de illâ, & istius poenis, clericos Regulares perinde ut Seculares affici, cum Rodriguez *Regular. 2. 2. Tom. 3. §. 2. 4. art. 8.* Miranda *Manual. Pralat. tom. 1. 9. 39. art. 6.* & aliis Regularium D.D. censet Barbosa *cit. alleg. 16. n. 25.*

Tertio, Episcopus duos sacros, v.g. Diaconatus & Presbyteratus Ordines eodem, vel continuatò jejuniò duobus die-

bent duo in speciem sibi aduersantes textus, *c. Cum quidam & c. Consultationi* 16. quorum priori relatum Urbani III. ad Archiepiscopum Pisanum rescriptum est, *sic Ordinatos à susceptis ordinibus, siue istorum executione, tamdiu reddere debes expertes, donec apud Nos restitutionis gratiam consequantur*: posteriori ab Archiepiscopo Baranensi de huiusmodi ordinatis consultus Gregorius IX. respondit, Archiepiscopum *Sustinere posse (primò eis imposità penitentia competenti) in susceptis Ordinibus ministrare.* Quod Gregorii rescriptum secutus Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 107. cum Glossa fin. in c. cit. & Panormit. ibid. n. 4. à proposita censura absolutionem adstruit Episcopo: eamque reddit rationem; quòd generatim à suspensione, quam propter delictum canon imponit aut imponi precipit sine certi temporis determinatione & reservatione, absolvere valeat Episcopus, si reus à contumacia recedens Ecclesiæ mandatis parere velit, c. Ex literis 11. de Constitut. & c. Nuper 29. de Sent. excom. cit. Suarez disp. 29. f. 1. n. 19. Avila p. 3. disp. 6. concl. 4. & Laiman Lib. 1. tract. 5. p. 3. cap. 4. n. 2. §. Veruntamen.*

104. Ne autem huic resolutioni aduersetur, *c. Cum quidam cit.* relatum rescriptum Papæ Urbani, istò absolutionem vel dispensationem à Papa sibi specialiter reservatam, cum Glossa *in c. cit. V. Apud Nos & Panormit. n. 5.* notat Pirrhing *l. cit.* eamque reservandi causam fuisse, ait; quòd proprius ordinati Episcopus, cui aliàs absolutio competeret, ipse deliquerit, Ordines illi extra consueta tempora conferendò. Hinc certè pœnæ impositio à Papa non ipsi, sed Metropolitanò, non tanquam iudici Ordinario; cum in suffraganei sui subditum jurisdictionem non haberet, nisi in casi-

bus iure expressis, *c. Pastoralis 11. pr. de Offic. Ordin.* sed tanquam delegato commissa fuit, absolutione ex eadem causa sedis Apostolicæ reservatà: licet aliàs reservata non sit, *c. Consultationi cit.*

Quintò, in Episcopum, qui temporum interstitiis v. g. annuis, quæ inter sacrorum Ordinum collationem à Concilio Tridentino *Sess. 23. cap. 11. & 12. de Reformat.* præscripta sunt, non levatis, & per dispensationem (cujus gratiam subditis suis facere ipse potest, *cap. 11. 13. & 14.*) non relaxatis, aliis cui v. g. diocæsano alieno, quocum in illis à proprio Episcopo dispensatum non est, aut etiam sine ulla rationabili causa subdito suo duos sacros Ordines conferat, sicut & in eum, qui duos ejusmodi Ordines sic recipit, suspensionis aliæ censura aut pœna iure constituta non recipitur. Eos tamen, tanquam voluntarios sanctionum Ecclesiasticarum transgressores, pœnis superioris arbitrio imponendis obnoxios, cum Navarro *ad hanc Rubr. confil. 4. Zerola Prax. Episc. p. 1. V. Ordo §. 3. & p. 2. V. ad §. 1. & alius censet cit. Barbosa alleg. 18. n. 11.*

Sextò, Episcopus clericis etiam in Ordinibus in aliena diocesi sine expressa licentia proprii istius Episcopi, & lecto vacante Capituli conferre præsumens suspensionem à Pontificalium, siue omnium actuum Episcopalis Ordinis propriorum exercitio; ipsò iure incurrit, ex decreto S. Synodi Trident. *Sess. 6. cap. 5. de Ref. Sine Expressa*, inquam; quia ad censuram hanc evitandam non sufficit licentia tacita, vel ex futuræ ratihabitionis spe præsumpta, ut in *c. Eos qui 2. n. 6.* notat Laiman *n. 6. & cit. Pirrhing n. 105.* Eidem suspensionis pœnæ etiam, si in aliena diocesi sine ejusmodi licentia primam tonsuram conferat, Episcopum esse obnoxium, cum *cit. Navarro*

fil. 29. n. 7. & aliis rectè sustinent *citt.* Barbosa *alleg. 6. n. 15.* & Laiman *n. 8.* quòd, licet prima Tonsura non sit Ordo, ejus tamen collatio actus sit Pontificalium, *cap. 5. cit.* in aliena diocesi sine istius Episcopi licentia generaliter interdictus; cùm, Jure communi primàque institutione spectatà, solis Episcopis competat.

108. Ii verò, qui à suo etiam Episcopo in aliena diocesi, bonà etiam fide; quòd illum ab Episcopo loci Ordinario licentiam habere existimàrint, ordinati sunt, Ordinum ita receptorum executionem non habent: donec ab Episcopo, loci peractæ Ordinationis, cum eis fuerit dispensatum, *cap. 5. cit.* quòd, sicut sententia à judice non suo vel extra territorium lata non valet, *arg. l. fin. ff. de Jurisdic. & c. fin. de Constitut. in 6.* sic intra fines alienæ diocesis sine istius proprii Episcopi licentia celebrata ordinatio, quoad legitimam Ordinum executionem, irrita habeatur, *can. Episcopum 9. q. 2. Laiman in c. Eos qui cit. n. 6. & cit. Pirrhing n. 105.*

109. Septimò, Episcopus & quivis alius prælatus scienter, vel per ignorantiam affectatam aut aliud figmentum vel prætextum quæsitum, alienæ diocesis clerico absque proprii istius Episcopi licentia sine Dimissoriis Ordines conferre præsumens, à collatione Ordinum suspensionem annuam ipsò Jure incurrit, ex rescripto Bonifacii VIII, *c. Eos qui 2. in 6. & decreto Tridentini Sess. 23. cap. 8. sine de Reformaz.* quæ poena innovata est ab Innocentio XII. *Constitut. quæ incipit Speculatores pridie Nonas Novemb. 1694. publicatâ.* ut dictum *n. 64.* Hinc

Dabium oritur, an alienum diocesanum sine licentia proprii ita ordinans suspensionem annuam ab eorum duntaxat, quos temere contulit, vel aliorum

quoque Ordinum collatione incurrat. A primæ tonsuræ collatione talem non suspendi, patet ex dictis; quòd textus disertè loquatur de collatione Ordinum: prima Tonsura autem Ordo non sit. Eà etiam suspensione non omnium, sed male collatorum tantùm Ordinum collationem affici & impediri, volunt Joan. Monach. Dominicus & Vivianus *in c. cit.* ut poena congruat delicto, & ordinans in eo tantùm, in quo peccavit, puniatur.

Sed verius ea suspensione non illorum tantùm, sed omnium Ordinum collationem affici & impediri, cum Glossa *in c. cit. V. Ordinum* sustinet *citt.* Suarez *disp. 31. s. 5. n. 5.* Laiman *n. 2.* & Pirrhing *n. 98.* Ratio est; quòd *c. Eos qui cit. & cap. 5. cit.* suspensio à collatione Ordinum imponatur generaliter & indistinctè: Jus autem generaliter aliquid statuens generaliter sit exaudiendum: & ubi illud non distinguit, nec nos distinguere debeamus, *can. Si Romanorum 1. disp. 19. & can. Consulisti ibi, Quod SS. Patrum documentò sancitum non est, superstitiosâ adinventione non est præsumendum 2. q. 5.* cùm Papa, si ab ordine tantùm malè collato suspensionem incurri voluisset, id fuisset expressurus, sicut expressit, *c. Literas 13. & c. fin. cit.* Rationi huic non parùm roboris addit; quòd *c. Eos qui cit. V. fin. clericis Episcoporum,* ob temerariam alieni subditi ordinationem suspensorum, subditis casu, quò illorum suspensio manifesta est, generaliter licentia detur pro Ordinum collatione adeundi Episcopos vicinos, non obscurò argumentò, proprios ipsorum Episcopos ob ordinationis temeritatem suspensionem ab omnium Ordinum collatione incurrisse; cùm, si à solorum temere collatorum, & non ab omnium Ordinum collatione suspensionem incurrisent, Ordines à vicinis

Episco-

Episcopis petendi licentia ad Ordines, ab Episcopo temere collatos, restricta fuisset.

Neque temerariae unius Ordinis collationi imposita ab omnium collatione suspensio excedit culpam; cum quia non perpetua, sed annua duntaxat est: tum verò; quia, licet ultra Ordinem temere collatum porrigatur, non tamen excedit mensuram delicti, sacrorum canonum, ejusmodi Ordinationem ad rerum confusionem aliàque publica incommoda vitanda interdientium, transgressione commissi, ut *arg. c. Vel non est cit.* observat *cit.* Suarez n. 5.

III.

In clericum autem, sine Dimissoriis five licentia proprii, ab Episcopo aliòve praelato alieno scienter ordinatum, *c. Eos qui cit.* nihil speciale statuitur, sed tantum rata habentur, quæ in eum statuta sunt iure anteriori, *can. 1. can. Si quis 3. dist. 71. can. 1. Sc. 9. q. 2.* quibus locis rata non habetur ejus ordinatio; ut, licet Ordinis imprimat characterem, ejus tamen non tribuat executionem: nisi ista proprii Episcopi dispensatione conferatur, *can. Lugdunensis 10. cit. q. 2. ut in c. Eos qui cit.* notant Glossa *V. Statuit* Joan. Monach. n. 8. & Francus n. 5, quò sensu acceptos canones illos secuta est S. Synodus Tridentina *Sess. 27. de Reformat.* cujus *cap. 8. Si secus*, inquit, *fiat*, ab alieno Episcopo sine Dimissoriis à proprio acceptis, *ordinatus suspensionem à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedit, sit suspensus.*

Conciliare hoc decretum & canones illos Pius II. *Constitut. cit.* ex parte declarat, dum illis statutam suspensionem istiusque violationi impositam irregularitatem ab ordinato, & ipso etiam ordinante, incurri, ait, *ipsò Jure*, ut rectè observat Barbosa *cit. alleg. 8. n. 10.* ex parte verò ab illis recessisse videri potest,

dum illam incurri ait, sine licentia proprii Episcopi attentata collatione & receptione *Ordinum sacrorum*: quorum expressione ejusmodi collationem & receptionem Ordinum minorum exclusam, existimat *cit. Pirrhing n. 102.* ut hos sine proprii Episcopi licentia subdito non suo scienter conferens ac recipiens, licet tanquam sacrorum canonum in re grati transgressores, gravi poenæ arbitrarie obnoxii sint, propriè dictam tamen suspensionem & irregularitatem non contrahant.

Verisimilius tamen, hujusmodi temeraria collatione, receptioneque Ordinum minorum ab ordinante & ordinato suspensionem propriè dictam, istiusque violatione irregularitatem, ipso Jure contrahi, cum Navarro *Manual. cap. 27. n. 163.* Quaranta *V. Ordo §. Secunda limita* & aliis defendit *cit.* Barbosa n. 10, quòd Constitutione Piana, cum de ista sacrorum Ordinum collatione agat, Ordinum minorum collatio receptioque omnino intacta &, tanquam casus omnisus, relicta fuerit sub dispositione iuris anterioris, *can. cit.* à Concilio Tridentino postea confirmata *cap. 8. cit.* sine proprii Episcopi licentia Ordines, absque ullo inter majores & minores discrimine, conferentes recipientesque censuræ Jure subiciunt verbis, *Sit suspensus* quibus latam à Jure, & non ab homine imponendam, suspensionem denotari & induci, cum Felino in *c. Rodulphus 25. de Rescriptis à n. 25.* monent Tiraquelli in *l. Si unquam 8. C. de Revocand. donat. V. Revertatur n. 180.* & Suarez *Lib. 1. de LL. cap. 6. n. 28.*

Dixi *Scienter* & *Mala fide*; quæ tam ordinans quam ordinatus à suspensionis poenæ excusatur, absque Dimissoriis seu proprii Episcopi licentia ordinans conferendò subdito alieno, & hic illis ita respo-

ita recipiendò; quod ille, hunc subditum suum esse aut à proprio Episcopo licentiam habere: iste verò sive Ordinatus, ordinantem suum Episcopum aut Ordines sibi conferendi licentiam habere, bonâ fide existimârunt, *cit. Barbosa num. 3. & 23.*

114. Oâvò, Episcopus Italus ultramontano vg. Germano alicui, literas Dimissorias ab Originis, domicilii, vel loci beneficii Episcopo acceptas, non exhibenti sine speciali licentia Papæ conferens gravius quàm alti, subditos non suos ita ordinantes, delinquit &, ultra prædictam suspensionem, aliis poenis superioris arbitriò infligendis obnoxius est. Ultramontanus autem ab illo sic ordinatus ab ordinum ita susceptorum executione suspensione, sedis Apostolicæ relaxationi reservatam, ipso Jure incurrit, *c. 1. in 6. ubi Glossa V. Clericum & V. Suspensos, Laiman q. 3. & Barbosa alleg. cit. n. 6.*

115. Nonò, sine Mensæ, sive competentis sustentationis Titulo aliquem ad sacrum Ordinem promoventis ordinatio Veteri Jure irrita eatenus habetur; ut ordinis ita suscepti, licet conferat characterem, non tamen tribuat executionem, *can. 1. & can. fin. dist. 70.*

Modernò verò Jure, suspensione hæc, saltem respectu eorum, qui nullâ suâ culpâ sine congruæ sustentationis Titulo ad sacros Ordines promoti sunt, sublatâ, Episcopus ordinato de necessariis alimentis, si ista aliunde non habeat, providere tenetur, donec ad congruam sustentationem sufficiens beneficium Ecclesiasticum consequatur, *c. Episcopo 4. c. Cum secundum 16. de Præbenâ, & dignit. & c. Si Episcopus 37. eâdem Rubr. in 6. ne cum Ordinis sui statûs clericalis opprobrio mendicare vel sordidum aliquem quæstum exercere cogatur, can. Diaconi 23. §. Nunc autem, dist. 93. & Concil. Trid.*

sess. 21. cap. 2. de Reformat. Ugolinus de Offic. Episc. cap. 26. §. 15. & Palao Tract. 27. disp. Unic. p. 12. n. 1.

Episcopò autem, à quo clericus sine Titulo majoribus initiatus est, vita fundâ, illi donec competens beneficium consequatur, necessaria vitæ subsidia subministrare tenentur successores in dignitate vel administratione; ac proinde Episcopali sede vacante Capitulum, *c. Cum secundum cit. ibi, Per ordinatores & successores eorum provideri volumus ordinatis, Glossa in c. cit. V. Successores & Panormit. n. 10.* Ratio est; quòd Episcopus Ordine sacrò initiandò aliquem, qui sustentationis congruæ titulum non habet, se obligare censetur, imò à Jure obligetur, ad eum de Mensâ Episcopali alendum, donec ei de beneficio fuerit provisorum: eaque obligatio, tanquam onus reale Mensæ Episcopalis, transeat ad successores, *arg. c. Ex literis 5. de Pignoribus.*

Ad eandem sustentationem, donec ista aliunde suppetat, & ante ipsum Episcopum ordinantem istiusque successores, tenetur Archidiaconus sive, ut apud nos, Vicarius in spiritualibus generalis aut alius, cujus officii est, ordinandos examinare & admittere: si per negligentiam titulo carentem approbet & Episcopo præsentet, *Glossa in c. Ad hac 7. V. Examinentur in fine de Offic. Archidiacon. Hostiens. de Scrutin. in ord. sac. n. 4. Laiman in c. Si Episcopus cit. n. 14. §. Secundò & cit. Pirrhing n. 111. §. Tertiò.*

Is verò, qui sacrò Ordine sine Titulo initiatus est, an culpâ vacet aut lecus, multum interest; cum, si vacet culpâ, quòd congruæ sustentationis defectu sincere exposito ab Episcopo nihilominus promotus sit, suspensionis aliâve pœnam Ecclesiasticam non incurrat, sed juxta *c. Cum secundum cit. &c.* alimenta ab Episcopo

M m m 1 scopo

116.

117.

scopo consequatur, donec ipsi provifum sit de beneficio competente, ut Garcia p. 2. de Benef. cap. 5. n. 28. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 5. §. 10. n. 22. & alii DD. relatis tradit cit. Barbosa alleg. 20. n. 27. Si autem in culpa sit, & beneficii vel patrimonii titulum, quem non habuit, fingendò Episcopum deceperit, verifimiliùs cit. can. 1. & can. fin. dist. 70. latam ab Ordinis executione suspensionem; & si in suscepto Ordine sacro ministrare præsumendò censuram violet, irregularitatem incurrit, quin Episcopus istiusque in dignitate vel administratione successores vel Archidiaconus ipsum alere teneantur, Navarrus cit. cap. 27. n. 158. Suarez cit. disp. 31. s. 1. n. 35. Laiman in c. Cum secundum cit. n. 5. cit. Barbosa n. 33. Fagnanus in c. cit. n. 68. & Pirrhing n. 112. Ratio est; quòd c. Cum secundum cit. antiquis canonibus five can. 1. & can. fin. cit. prodita suspensio sublata tantum fuerit, quatenus ordinati suspensio introducta fuit in injuriam five odium Ordinantium, hoc est, Episcoporum, clericos Titulo carentes ad sacros Ordines scienter promoventium: non etiam, quatenus imposta fuit iis, qui Titulo malitiosè confictò Episcopos ad sui ordinationem induxerunt; cum verifimile non sit, c. cit. in malitiosè decipientium favorem aliquid introductum, & correctos canones antiquos, ut rectè observat Fagnanus n. 69. id confirmans auctoritate S. Congregat. Card. Tridentini Interpp. quæ super hoc articulo consultata die 27. Novemb. 1610. declaravit, ad hunc casum relatum suspensionis pœnam ante Concilium, scilicet c. Cum secundum cit. non fuisse correctam: & clericum, qui adhibetò dolo confictòque Titulo Ordinatorem decepit, esse ipsò Jure suspensum, carerèque Ordinum executione.]

Accessit postea Constitutio Urbani VIII. quæ incipit Secretis edita 1. Decemb. 1624. quæ fictò, falsò vel fiduciariò patrimonii Titulo ordinatis perpetua suspensio imponitur his verbis, Promoti verò perpetua suspensionis pœnam ab omni spe dispensationis à sede Apostolica obtinenda incurrant, eò ipsò insuper promotos hujusmodi ac etiam eos, qui cum falsis vel fictis aut fiduciariis patrimoniis titulis scienter se ad Ordines hujusmodi promoveri fecerint, non solum prædictis, verum etiam majoribus arbitrio nostrò pro tempore existentis Romani Pontificis infingendis pœnis &c.

Quod si sacra ordinatio sine competente Mensæ Titulo facta est, culpa usque, tam ordinantis quàm ordinati huic, donec ad congruam sustentationem sufficiens beneficium consequatur, necessaria vitæ subsidia subministrandi obligationem, c. Episcopo c. Cum secundum cit. iste verò five ordinatus à susceptorum ordinum executione suspensionem ipsò Jure contrahit, can. 1. & can. fin. cit. Pirrhing cit. n. 112. in fine.

Decimò, si Episcopus vel ordinatus alius clericum ad sacrum Ordinem sine Mensæ Titulo promoveat interveniente pactione, ne ab ordinato super beneficio vel alimentatione molesteretur, ipse à Ordinum collatione triennalem: Ordinatus verò à sacri Ordinis ita suscepti executione suspensionem ipsò Jure incurrit, donec illa à sede Apostolica relaxetur, c. Si quis ordinaverit 45. de Simonia. Ratio est partim; quia talis ordinatio cedit in fraudem canonis, ordinatorem ad beneficium clerico sine Titulo sacris initiatio conferendum & alimenta, donec competentis beneficium consequatur, ministranda obligantis, c. Episcopo c. Cum secundum cit. &c. partim verò; quia ejusmodi pactio simoniaca est; cum ea ordinatus jus

natus jus ad beneficium & alimenta pendenda, ex canone sibi competens, ordinatori remittat pro sacra ordinationis consecutione: quod jus cum pretio aestimabile sit, ejus cessio & obligationis ad conferendum sibi beneficium vel præstanda alimenta remissio pro sacra ordinatione

simoniae labe est infecta, c. *fin. de Pallio* & c. *Super eo 7. de Transact.* & c. *Si quis ordinaverit cit. junctâ Rubricâ de Simonia*, Suarez *cit. disp. 31. s. 4. n. 27.* & de *Simonia cap. 56. n. 13.* & Pirthing *ad Rubric. de Simonia n. 159.*



TITVLVS XII.

De Scrutinio in Ordine faciendo.

SUMMARIUM.

1. Scrutinii usus in Baptismo & Ordine.
2. In hoc primò sit integrò mense:
3. Secundò aliquot diebus ante Ordinationem:
4. In quo in Ordinandi genus.
5. Personam, aetatem, institutionem,
6. Vitam morèsq; ,
7. Doctrinam,
8. Et Fidem inquisitio fit.
9. Tertiò in ipsa Ordinatione:
10. In qua dignus dicitur, cujus defectus nequit probari.

1. Scrutinium, à *Scrutando* sic dictum, duobus Sacramentis præmitti ab Ecclesia consuevit: & imprimis quidem Baptismo, c. *Hic qua 11. de Majorit. & Obed. & c. Cum dilectus 2. de Capell. Monach.* ad quem priusquam admitterentur, Catechumeni in Scrutiniis, per Quadragesimam institui solitis, ab eo, qui Ecclesiae præerat, examinabantur, Gonzalez *in c. Hic qua cit. n. 4.* Deinde Ordini, c. *Unicò hic:* cui præmitti solitum Scrutinium aliud non est, quàm exa-

men, sive, inquisitio de ordinandorum dignitate, Ordinationi præmittenda ab eo, ad quem spectat, *can. Nullus 2. cap. Quando 5. dist. 24. & c. cit.* Præscriptum autem à Jure est Scrutinium sive examen triplex.

Primum, ex commissione Episcopi, 2. à paroco vel alio delegato faciendum, ex decreto S. Concilii Tridentini *sess. 23. cap. 5. de Reformat.* exposcentis, ut *Ad minores Ordines promovendi bonum à paroco & à magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habeant.* Hi verò, qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante Ordinationem Episcopum adeant, qui paroco vel alteri committat, ut nominibus & desiderio eorum, qui volunt promoveri, publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, aetate, moribus & vita à fide dignis diligenter inquirat: & literas testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quàm primùm transmittat: cujus Decreti saluberrima dispositio usu non ubique est recepta. Germaniæ etiam nostræ plurimum Diocesium Ordinarii istius Scrutini locò